# M. TULLII CICERONIS

## PARTITIONES ORATORIÆ

Adjectis identidem iis, quæ ad planiorem, uberioremque rerum intelligentiam facere videbantur.



*Via opus est incipientibus, sed ea plana, & cum ad ingrediendum, tum ad demonstrandum expedita.* Quintil. in Procem. lib. VIII.

AUGUSTÆ TAURINORUM, MDCCLIII.

EX TYPOGRAPHIA REGIA.

*Superiorum permissu.*



# LECTORI BENEVOLO.

ON ſemel animadverti eam eſſe omnium fere adoleſcentium indolem, ut quo cupidius iniere ſtudia, eo citius, ſi paullo prolixior eorum doctrina fuerit, tanquam itineris longitudine defatigati, aut omnino deſerant, aut ſegniter proſequantur. Atque id cum in cæteris artibus evenire comperi, tum maxime in facultate dicendi, cujus ratio exercitatione magis, & uſu, quam Rhetorum formulis continetur; adeo ut Horatianum illud, *quidquid præcipies, eſto brevis*, in hac præſertim diſciplina tenendum eſſe videatur. Nimirum hoc cum intellexiſſent, laudabili ſane cona-

tu complures, quæ a ſummis dicendi magiſtris fuſe tradita ſunt, breviter deſcripſere, rati ſe viam proximam, & quaſi compendiariam ad eloquentiam contendentibus patefacturos. At quoniam nonnulli nova quædam optimis Veterum inſtitutis haud plane conſentanea adjecerunt; alii non ſatis caſtigato uſi ſunt ſtylo; plerique exempla a minus probatis Scriptoribus deſumſere; nequaquam id, quod ſibi propoſuerant, aſſecuti videntur. Hiſce incommodis ut occurreret Carolus Rollinus, vir optime de literis meritus, Quintiliani inſtitutiones edidit, reſectis iis, quæ vel obſcura cenſuit, vel non neceſſaria; attamen eas non ita contraxit, ut feſtinantibus ingeniis faſtidium, ac ſatietatem mi-

nime

nime afferre non poſſint. Quare cum & nos juvenum rationibus conſultum vellemus, nihil ad eorum ingenium accommodatius, nihil ad utilitatem conducibilius viſum eſt proponi poſſe, quam Ciceronis Partitiones Oratoriæ, in quibus, quidquid in reliquis de arte dicendi libris fuſiori calamo perſecutus fuerat, in certas veluti partes digeſtum eleganter, ut aſſolet, ac ſummatim expoſuit. Pauca etiam, ex ipſo tamen Tullio depromta, neceſſario duximus intermiſcenda, cum ut lucis aliquid afferretur iis, quæ nimia, ut res poſtulabat, brevitate dicta ſunt; tum etiam ut præcepta adpoſitis illuſtrarentur exemplis: qua quidem in re facem nobis prætulere Strebæus, Majoragius, Latomus, qui perpetuis

commentariis hoc opus explanaverunt. Id autem non alio consilio factum intelligi volumus, nisi ut studiosæ juventutis commodis pro virili prospiceremus; qui si viam hanc constanter institerint, minime dubitandum est, quin ad aliquam eloquentiæ laudem brevi perveniant.



M. TUL-

# M. TULLII CICERONIS
## DE PARTITIONIBUS ORATORIIS
## DIALOGUS.

### INTERLOCUTORES

*Cicero Pater, Cicero Filius.*

*Cic. F.* TUDEO, mi pater, latine ex te audire ea, quæ mihi tu (*a*) de ratione dicendi græce tradidisti; si modo tibi est ocium, & si vis.

(*a*) De Rhetorica, quæ ab Aristotele definitur *facultas videndi, quid in quaque re sit ad persuadendum accommodatum*. Et communiter: *ars bene, appositeque dicendi ad persuadendum*. Quare ejus finis est persuadere dictione: Oratoris vero officium dicere apposite ad persuadendum.

*Cic. P.* An est, mi Cicero, quod ego malim, quam te quam doctissimum esse? Ocium autem primum & summum est, quoniam aliquando Roma exeundi potestas data est; deinde ista tua studia vel maximis occupationibus meis anteferrem libenter.

*Fil.* Vis ne igitur, ut tu græce soles ordine interrogare; sic ego te vicissim eisdem de rebus latine interrogem?

*Pat.* Sane si placet. Sic enim & ego te meminisse intelligam, quæ accepisti; & tu ordine audies, quæ requiris.

*Distributio totius operis in tres partes, in munus oratoris, in orationem, & in quæstionem.*

*Fil.* QUot in partes distribuenda est omnis doctrina dicendi?

*P.* In tres.

*F.* Cedo, quas?

*P.* Primum in ipsam vim oratoris; deinde in orationem; tum in quæstionem.

*F.* In quo est ipsa vis?

*P.* In rebus, & verbis. Sed & res, & verba invenienda sunt, & collocanda. Proprie autem in rebus invenire; in verbis eloqui dicitur. Collocare autem etsi est commune; tamen ad inveniendum refertur: vox, motus, vultus, atque omnis actio eloquendi comes est: earum omnium rerum custos est memoria.

Oportet igitur (inquit Cornificius) in Oratore esse inventionem, dispositionem, elocutionem, memoriam, & pronunciationem. Inventio est excogitatio rerum verarum, aut verisimilium, quæ caussam probabilem reddant. Dispositio est ordo, & distributio rerum, quæ demonstrat, quid quibus in locis sit collocandum. Elocutio est idoneorum verborum, & sententiarum ad inventionem

acco-

accommodatio. Memoria est firma animi rerum, & verborum dispositionis perceptio. Pronunciatio est vocis, vultus, gestus moderatio cum venustate.

*F.* Quid? Orationis quot sunt partes?

*P.* Quatuor. Earum duæ valent ad rem docendam, Narratio, & Confirmatio: ad impellendos animos duæ, Principium, & Peroratio.

Hisce quatuor duas addit ipsemet Cicero de Oratore, Partitionem, & Confutationem; quarum illa ad Principium, vel Narrationem; hæc ad Confirmationem commode revocatur.

*F.* Quid? Quæstio quasnam habet partes?

*P.* Infinitam, quam consultationem appello; & definitam, quam controversiam nomino.

## PARS PRIMA

### *De munere Oratoris, & primo de inventione, quæ fidem, motumque complectitur.*

*F.* QUoniam igitur primum est invenire Oratoris, quid quæret?

*P.* Ut inveniat, quemadmodum fidem faciat eis, quibus volet persuadere; & quemadmodum motum eorum animis afferat.

De

## *De fide facienda.*

*F.* Quibus rebus fides fit?

*P.* Argumentis, quæ ducuntur ex locis, aut in re ipsa insitis, aut assumtis.

*F.* Quos vocas locos?

*P.* Eos, in quibus latent argumenta.

*F.* Quid est argumentum?

*P.* Probabile inventum ad faciendam fidem.

*F.* Quomodo igitur duo ista genera dividis?

*P.* Quæ sine arte putantur, ea remota appello, ut testimonia.

*F.* Quid insita?

*P.* Quæ inhærent in ipsa re.

*F.* Et testimoniorum, quæ sunt genera?

*P.* Divinum, & humanum. Divinum, ut oracula, ut auspicia, ut vaticinationes, & responsa sacerdotum, aruspicum, conjectorum. Humanum, quod spectatur ex auctoritate, & ex voluntate, & ex oratione aut libera, aut expressa; in quo insunt scripta, pacta, promissa, jurata, quæsita.

Huc referri debent sacræ literæ, divinitus revelata mysteria, Pontificum, Conciliorumque sanctiones, & cætera id genus, unde ab oratoribus sacris firmissima de fidei, morumque præceptis argumenta ducuntur. Testimonio subjicit Cicero omnes locos assumtos, qui septem communiter enumerantur, Testes, Leges, Fama, sive rumor, Præjudicia, Tabulæ, Jusjurandum, Quæstiones.

Cum

Cum enim testimonii vis ab auctoritate, a voluntate, ab oratione pendeat; auctoritas spectatur in testibus; voluntas in legibus, atque in iis, quæ legibus similia sunt. Oratio libera, si incerto auctore manavit in vulgus, eadem est, ac fama: si certum habet auctorem, complectitur præjudicia, sive res alicujus, vel aliquorum sententia jam judicatas: tabulas, quibus scripta omnia cum privata, tum publica comprehenduntur: & jusjurandum. Oratio autem expressa, seu coacta pertinet ad quæstiones, seu cruciatus, quibus a reis vel invitis exprimitur veritas. Horum locorum præcipuus usus est in judicialibus caussis. Ita Cicero in orat. pro Archia, beneficio legis, auctoritate municipii, testimonio Luculli, tabulis Metelli comprobat Archiam civitate donatum: quam quidem legitimam quæstionem merito vocat.

*F.* Quæ sunt, quæ dicis insita?

*P.* Quæ infixa sunt rebus ipsis tum ex toto, tum ex partibus, tum ex notatione, tum ex iis rebus, quæ quodammodo affectæ sunt ad id, de quo quæritur. Et ad id totum, de quo disseritur, tum definitio adhibetur, tum partium enumeratio, tum notatio verbi. Ex his autem rebus, quæ quodammodo affectæ sunt ad id, de quo quæritur, alia conjuncta appellantur, alia ex genere, alia ex forma, alia ex similitudine, alia ex differentia, alia ex contrario, alia ex conjunctis, alia ex antecedentibus, alia ex consequentibus, alia ex repugnantibus, alia ex caussis, alia ex effe-

ctibus,

ctibus, alia ex comparatione majorum, aut parium, aut minorum.

Definitio est earum rerum, quæ sunt ejus rei propriæ, quam definire volumus, brevis, & circumscripta quædam explicatio. Hic autem præcipitur definitionis modus. Cum sumseris ea, quæ sunt ei rei, quam definire velis, cum aliis communia, usque eo progredi debes, dum proprium efficiatur, quod nullam aliam in rem transferri possit: ut hoc: *homo est animal*, commune adhuc: multa enim genera sunt animalium. Adde, quod sequitur: *ratione præditum*: confectum est: ratio enim hominem secernit a cæteris. Hujusmodi definitiones constare dicuntur genere, & proprietate quadam, quam *differentiam* vocant. Quoniam vero non ita facile inveniri possunt differentiæ; idcirco frequenter Oratores aut necessitatis, aut dignitatis caussa res non tam definiunt, quam describunt pluribus modis, quos vide infra de genere definitivo.

Hoc autem ex definitione ductum affert Tullius argumentum: *Jus civile est æquitas constituta iis, qui ejusdem civitatis sunt, ad res suas obtinendas: ejus autem æquitatis utilis est cognitio: utilis est ergo juris civilis scientia.*

Enumeratio partium est oratio rem aliquam in suas partes distribuens. Si totum in partes tribuit, partitio; si genus in formas, divisio appellatur. Hæc & ad probandum valet, & ad refellendum, inquit Fabius. Probanti interim satis est unum habere hoc modo: *si civis quis, aut natus sit, aut factus: non est natus, ergo factus. Vel, est factus, ergo non natus.* Neganti utrumque tollendum est: *nec natus, nec factus est; non igitur civis.*

Notatio est, quum ex vi nominis argumentum ducitur. Hæc ἐτυμολογία Græcis, Latinis

nota-

*notatio* vocatur, quia sunt verba rerum *notæ*. Sic ex vocabulo argumentatur Antonius lib. 1. de orat. *Si consul est, qui consulit patriæ, quid aliud fecit Opimius?*

Conjugata dicuntur, quæ sunt ex verbis generis ejusdem. Ejusdem autem generis verba sunt, quæ orta ab uno varie commutantur: ut *sapiens*, *sapienter*, *sapientia*. Hæc verborum conjugatio *συζυγία* græce dicitur: ex qua hujuscemodi est argumentum: *Si compascuus est ager, jus est compascere*. Aut: *Si pietati summa tribuenda laus est, debetis moveri, cum Q. Metellum tam pie lugere videatis*.

Genus id est, quod sui similes communione quadam, specie autem differentes, duas, aut plures complectitur partes. Formæ, sive species sunt, quæ generibus iis, ex quibus emanant, subjiciuntur.

Genus, inquit Fabius, ad probandam speciem minimum valet, plurimum ad refellendam. Itaque *non quia est arbor, platanus est; at quod non est arbor, platanus non est*. Contra species firmam probationem habet generis; infirmam refutationem. Nam *quod justitia est, utique virtus est: quod non est justitia, potest esse virtus*, ut est fortitudo, continentia, constantia.

Similitudo est rerum cæteroqui disparium in simili ratione collatio. Cicero post reditum ad Quirites: *tanquam bona valetudo jucundior est eis, qui e gravi morbo recreati sunt, quam qui nunquam ægro corpore fuerunt; sic patria, cæteraque fortunæ bona desiderata magis, quam quotidie percepta delectant*. Brevius in Vatinium: *repente enim te, tanquam serpens e latibulis, oculis eminentibus, inflato collo, tumidis cervicibus intulisti*. Videndum est autem diligenter, ne, quod similitudinis gratia adsciscimus, aut obscurum sit, aut ignotum: quod licet poetis interdum conceda-

cedatur, non tamen oratoribus; cum præsertim similitudo non alia de caussa, nisi ut lucem rebus afferat, inventa videatur.

Differentia, seu dissimilitudo est dissimilium rerum in dissimili ratione collatio. Hinc Cicero lib. 2. de orat. ita argumentatur: *Si barbarorum est in diem vivere; nostra consilia sempiternum tempus spectare debent.* Brevius Philip. 4. *Certus autem dies, non ut sacrificii, sic consilii expectari solet.*

Contraria sunt ea, quæ sibi invicem opponuntur. Horum genera quatuor statuit Cicero. Adversa, quæ in eodem genere plurimum differunt, ut *sapientia, & stultitia; bonitas, & malitia.* Ita Cicero. *Si stultitiam fugimus, sapientiam sequamur; & bonitatem, si malitiam.*

Privantia, quorum alterum rei possessionem; alterum ejusdem rei defectum significat, ut *visus, & cæcitas: dignitas, & indignitas: vita, & mors.* Idem pro Milone: *Ejus igitur* mortis *sedetis ultores, cujus* vitam, *si putetis per vos restitui posse, nolitis?*

Relata, quæ se invicem respiciunt; ut *pater, & filius: locare, & conducere: dare, & recuperare.* Idem lib. 1. de inventione; *Si Rhodiis turpe non est portorium locare; ne Hermacreonti quidem turpe est conducere.* Et pro Marcello: *Et profecto intelligis* ( Cæsar ) *quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria.*

Negantia, sive contradicentia, quorum oppositio nuda unius negatione continetur: ita ut si unum verum est, alterum necessario sit falsum, ut *feci, non feci.* Idem de invent. *Si quo tempore me istud fecisse dicitis, ego trans mare fui, relinquitur, ut id, quod dicitis, non modo non fecerim, sed ne potuerim quidem facere.*

Conjuncta, sive adjuncta, quæ cum re sæpe quidem, non tamen necessario cohærent. Huc spectant circumstantiæ omnes cum rerum, ut locus, tempus, facultas, finis: tum personarum: atque hæ

hæ vel animi sunt, ut virtutes, vitia; vel corporis, ut pulchritudo, deformitas, virium robur, vel imbecillitas &c.; vel fortunæ, ut patria, genus, educatio &c. Sed locus hic, inquit Cicero in Topic., magis ad conjecturales caussas, quæ versantur in judiciis, valet. Admonet autem, ut quæratur, quid ante rem, quid cum re, quid post rem evenerit. Ante rem enim quæruntur, quæ talia sunt, apparatus, colloquia, locus, constitutum convivium: cum re autem, pedum crepitus, strepitus hominum, corporum umbræ, & siquid ejusmodi. At post rem, rubor, pallor, titubatio, atque alia signa conturbationis, & conscientiæ; præterea restinctus ignis, gladius cruentus, cæteraque, quæ suspicionem facti possunt movere. Hoc loco usus est sollertissime Tullius pro Milone.

Antecedentia sunt, quibus positis, aliud consequatur, necesse est. Consequentia, quæ rem necessario consequuntur. Quare hæc ab adjunctis propterea differunt, quod adjuncta non semper eveniunt; hæc autem semper. Ab antecedentibus ita argumentari poteris: *Si homo est, doctrinæ capax est: sed est homo: ergo doctrinæ capax*. A consequentibus autem: *Si homo est, doctrinæ capax est: sed doctrinæ capax non est: non igitur homo*.

Repugnantia sunt ea, quæ contrariis adjuncta, cum re cohærere nunquam possunt: ut amicitia, & inimicitia contraria sunt; odium autem sequitur inimicitiam: ergo amicum esse, & odio habere sunt repugnantia. Ita; *non, si hostis a Senatu judicatus fuit Antonius, copiis adjuvandus est: fuit autem judicatus hostis: non igitur copiis adjuvandus*: repugnat enim hostem copiis adjuvari.

Locos ex antecedentibus, consequentibus, & repugnantibus Dialecticorum proprios appellat Cicero, cum ex iis plurima existat argumentorum seges.

Caussa

Caussa ea est , cujus vi aliquid fit. Caussarum autem genera sunt quatuor. Primum, a quo quidpiam efficitur , ut pictor est caussa tabulæ ; statuæ sculptor . Alterum, ex quo quidpiam componitur , tanquam ex materia ; ut ex argento pecunia . Tertium, quod cum rem aliquam secernat a cæteris , forma dicitur, ut hominis anima rationis particeps. Quartum, cujus gratia aliquid fit ; ita finis pugnæ victoria est ; studii doctrina.

Quæcumque autem in disputationem inciderit caussa efficiens aliquid necessario, sine dubitatione licebit ( ait Tullius ) quod efficitur ab ea caussa, concludere , ut *si sol est*, *dies est*. Cum autem erit talis caussa , ut in ea non sit efficiendi necessitas, sed quædam tantum afferat per se adjuvantia, conclusio necessaria non sequitur ; ut *simultati injuria caussam attulit* ; *simultas cædi* .

Effecta ( inquit Tullius ) sunt, quæ efficiuntur ex caussis. Ut enim caussa effectum indicat ; sic quod effectum est , quæ fuerit caussa , demonstrat . Hic locus suppeditare solet iis , qui ornate, & copiose loqui possunt, mirabilem copiam dicendi, quid ex quaque re sit futurum : caussarum enim cognitio cognitionem eventorum facit . Hinc ita argumentatur Tullius : *Si ærarii copiis & ad belli adjumenta , & ad ornamenta pacis utimur, vectigalibus serviamus*.

Comparatio dicitur, quoties duo , vel plura cum tertio aliquo , quod commune iis fuerit , sic conferuntur, ut intelligatur, quid majus sit , quid par , quid minus . Ex majore ita argumentatur Cicero. *Si bona existimatio divitiis præstat, & pecunia tantopere expetitur ; quanto magis gloria est expetenda ?* Ex minore Quintilianus : *qui facile , ac palam mentitur , pejerabit*. Ex pari idem : *qui ob rem judicandam pecuniam accepit ; etiam ob dicendum falsum testimonium accipiet*.

Differt

Differt autem ab exemplo comparatio, quoniam exemplum eſt comparationis ſpecies; nam multæ comparationes ſunt, quæ exempla dici non poſſunt, ut illud Lucii Craſſi contra Philippum: *Ego te putem Conſulem, quum tu me non putes Conſularem?*

Differt etiam a ſimilitudine (ut animadvertit Rodulphus Agricola) quod comparatio fiat, quum duo, vel plura ſic inter ſe conferuntur cum tertio aliquo, quod utrique commune ſit, vel quaſi commune conveniat; ut: *Si Catoni licuit ſequi bellum civile; etiam Ciceroni licebit*. Similitudo vero eſt, quum duo inter ſe ſic conferuntur, ut quemadmodum hoc in iſto, ſic illud ſeſe habeat in illo, E. G. *ut apes mellis ſaporem ex multis floribus conficiunt; ita eloquentia pluribus conſtat ſcientiis*.

*F.* Omnibus ne igitur ex his locis argumenta ſumemus?

*P.* Imo vero ſcrutabimur, & quæremus ex omnibus; ſed adhibebimus judicium, ut levia ſemper rejiciamus, nonnunquam etiam communia prætermittamus, & non neceſſaria.

*F.* Quoniam de fide reſpondiſti, volo audire de motu.

*P.* Loco tu quidem quæris; ſed planius quod vis explicabitur, cum ad orationis ipſius, quæſtionumque rationem venero.

### *De collocatione, seu dispositione, quæ ad finem quæstionis accommodari debet.*

*F.* QUid sequitur igitur?

*P.* Cum inveneris, collocare; cujus in infinita quæstione ordo est idem fere, quem exposui locorum. In definita autem adhibenda sunt etiam, quæ ad motus animorum pertinent.

*F.* Quomodo igitur ista explicas?

*P.* Habeo communia præcepta fidem faciendi, & commovendi, quoniam fides est firma opinio: motus autem, animi incitatio aut ad voluptatem, aut ad molestiam, aut ad metum, aut ad cupiditatem: tot enim sunt motus genera; partes plures generum singulorum. Nam est in proposito fides; in caussa fides, & motus. Quare cum de caussa dixero, in qua est propositum, de utroque dixero.

In quæstione infinita satis est fidem facere; at in definita præter fidem & motus animis afferri debet. Quatuor hic animi motus, sive perturbationes, sive affectus, qui ex opinione boni, vel mali proficiscuntur, enumerat, voluptatem, molestiam, metum, cupiditatem. Voluptas, seu lætitia est opinio recens boni præsentis, in quo efferri rectum esse videatur. Molestia, seu ægritudo est opinio recens mali præsentis, in quo dimitti, contrahique animo rectum esse videatur. Metus opinio impendentis mali, quod intolerabile esse videatur. Cupiditas, seu libido, opinio venturi boni, quod sit ex usu jam præsens

ſens eſſe, atque adeſſe. Singulis autem perturbationibus partes ejuſdem generis plures ſubjiciuntur; ut voluptati malevolentia lætans alieno malo; delectatio ſuavitate ſenſuum deliniens animum: moleſtiæ invidentia propter alterius res ſecundas, quæ nihil noceant invidenti, ſuſcepta; æmulatio, quæ alienam virtutem imitatur; miſericordia, ſeu ægritudo ex miſeriis alterius, injuria laborantis: cupiditati ira, ſeu libido puniendi ejus, qui videatur læſiſſe injuria; ſævitia, ſeu ira effrenata. Cæteras autem perturbationes, quæ nihil faciunt ad rem noſtram, omittimus.

## *De cauſſarum generibus.*

F. Quid habes igitur de cauſſa dicere?

P. Auditorum eam genere diſtingui. Nam auſcultator eſt modo, qui audit, aut diſceptator, ideſt rei, ſententiæque moderator; itaut aut delectetur, aut ſtatuat. Statuit autem aut de præteritis, ut Judex; aut de futuris, ut Senatus. Sic tria ſunt genera, judicii, deliberationis, exornationis; quæ quia in laudationes maxime confertur, proprium habet jam ex eo nomen.

Igitur genus judiciale eſt, quod poſitum in controverſia habet accuſationem, aut petitionem cum defenſione. Deliberativum, quod in conſultatione poſitum, habet in ſe ſuaſionem, & diſſuaſionem. Demonſtrativum, quod tribuitur in alicujus certæ perſonæ laudem, vel vituperationem.

*De fine uniuscujusque generis.*

F. QUas res sibi proponit in istis tribus generibus Orator?

P. Delectationem in exornatione: in judicio aut sævitiam, aut clementiam Judicis: in suasione autem aut spem, aut reformidationem deliberantis.

F. Cur igitur exponis hoc loco genera controversiarum?

P. Ut rationem collocandi ad finem cujusque accommodem.

*De collocatione in genere exornativo.*

F. QUonam tandem modo?

P. Quia quibus in orationibus delectatio finis est, varii sunt ordines collocandi. Nam aut temporum servantur gradus; aut generum distributiones; aut a minoribus ad majora ascendimus; aut a majoribus ad minora delabimur; aut hæc inæquali varietate distinguimus, cum parva magnis, simplicia conjunctis, obscura dilucidis, læta tristibus, incredibilia probabilibus inteximus, quæ in exornationem cadunt omnia.

Mul-

Multiplex est in exornativo genere collocandi ratio. Ac 1. Si temporum ordo servetur, quod familiare fuit antiquis, uti exemplo est oratio Xenophontis Agesilaum, & Isocratis Evagoram Cypri Regem laudantis. Ipsemet Cicero temporum gradus magna ex parte servat in Philippica secunda.

2. Si nulla temporum ratione habita, ad certa quædam virtutum, vitiorumque genera, seu capita laus, & vituperatio referatur. Ita Cicero pro lege Manil. laudes omnes Pompeii revocat ad scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem.

3. Si aut a minoribus ad majora ascendamus. Ita Cicero de Pompeii scientia militari loquens, primo dicit eum e ludo, atque pueritiæ disciplina ad exercitum patris profectum; deinde extrema pueritia militem fuisse summi Imperatoris; tum ineunte adolescentia fuisse maximi exercitus Imperatorem: quod idem fecisse videtur pro Cor. Balbo, ubi Pompejum laudans, primo ejus victorias, deinde ingenium, tum pudorem, postremo auctoritatem commendat.

4. Si ejus, qui laudatur, facta inæquali varietate distinguamus intexendo

Vel *magna parvis*, ut cum Cicero inter maximas Pompeii laudes narrat etiam ejus facilitatem in audiendis privatorum injuriis.

Vel *simplicia* (quæ ad unam tantum spectant virtutem) *conjunctis*, quæ ad plures simul virtutes pertinent, ut cum Cicero sigillatim exposita Pompeii fide, humanitate; ait: *Jam quantum consilio, quantum dicendi gravitate, & copia valeat, . . . . . vos, Quirites, hoc ipso in loco sæpe cognostis.*

Vel *obscura dilucidis*, ut cum Cicero inter ea, quæ Pompeii summam auctoritatem declarabant, ponit etiam illud, quod erat obscurum: *Idem ipse*

*Mithridates nonne ad eundem Pompejum legatum usque in Hispaniam misit?*

Vel *læta tristibus*, ut cum Cicero prædonum in Romanorum classem impetum, eumque a Pompejo repressum commemorat: *Tantane*, inquit, *hujus hominis incredibilis, ac divina virtus tam brevi tempore lucem afferre Reipublicæ potuit, ut vos, qui modo ante ostium Tyberinum classem hostium videbatis, ii nunc nullam intra Oceani ostium prædonum navem esse audiatis!*

Vel *incredibilia probabilibus*, ut cum dicit Pompeii voluntatibus non modo cives semper assensisse, socios obtemperasse, hostes obedivisse, sed etiam ventos, tempestatesque semper obsecundasse, quæ sane sunt incredibilia.

## *De collocatione in genere deliberativo.*

*F.* QUid? in deliberatione quid spectas?

*P.* Principia vel non longa, vel sæpe nulla; sunt enim ad audiendum qui deliberant, sua caussa parati. Nec multum sane sæpe narrandum est. Est enim narratio præteritarum rerum, aut præsentium; suasio autem futurarum. Quare ad fidem, & ad motum adhibenda est omnis oratio.

Exemplo suo docuit Cicero narrationi in deliberationibus locum esse, cum quædam exponenda sunt, quæ caussæ cohærent. Ita pro lege Manilia narratiunculam de rebus a Sylla, & Lucullo in Mithridatem gestis partitioni præmisit.

De

## *De collocatione in genere judiciali.*

*F.* Quid? in judiciis quæ eſt collocatio?

*P.* Non eadem accuſatoris, & rei: quod accuſator rerum ordinem proſequitur, & ſingula argumenta, quaſi haſta in manu collocata, vehementer proponit, concludit acriter, confirmat tabulis, decretis, teſtimoniis, accuratiuſque in ſingulis commoratur; perorationiſque præceptis, quæ ad incitandos animos valent, & in reliqua oratione, paullulum digrediens de curſu dicendi, utitur, & vehementius in perorando. Eſt enim propoſitum, ut iratum efficiat Judicem.

*F.* Quid faciendum eſt contra reo?

*P.* Omnia longe ſecus. Sumenda principia ad benevolentiam conciliandam. Narrationes aut amputandæ, quæ lædunt; aut relinquendæ, ſi totæ ſunt moleſtæ. Firmamenta ad fidem poſita, aut per ſe diluenda, aut obſcuranda, aut digreſſionibus obruenda. Perorationes autem ad miſericordiam conferendæ.

*F.* Semper ne igitur ordinem collocandi, quem volumus, tenere poſſumus?

*P.* Non ſane. Nam auditorum aures moderantur Oratori prudenti, & provido, &, quod reſpuunt, immutandum eſt.

*De elocutione, cujus duplex genus, alterum quodammodo naturale, alterum artificiosum.*

F. EXpone deinceps, quæ ipsius orationis, verborumque præcepta sunt?

P. Unum igitur genus est eloquendi sua sponte fusum; alterum versum, atque mutatum. Prima vis est in simplicibus verbis; in conjunctis secunda. Simplicia invenienda sunt; conjuncta collocanda sunt.

*De verbis simplicibus, quæ vel nativa sunt, vel reperta.*

ET simplicia verba partim nativa sunt, partim reperta. Nativa ea, quæ significata sunt sensu; reperta, quæ ex his facta sunt, & novata aut similitudine, aut imitatione, aut inflexione, aut adjunctione verborum.

Nativa & reperta vocat Cicero verba, quæ a Grammaticis *primitiva*, & *derivativa* appellantur.
Hæc autem fiunt aut *similitudine*, sive analogia, cum verbum aliquod ad similitudinem alterius effingimus: sic Cicero dixit *perspicientiam*, sicut sapientiam; & *favorem*, sicut pavorem: aut *imitatione*, cum in effingendo verbo rei naturam imitamur, quam Græci ὀνοματοποιίαν vocant, ut *balare*, *tinnire*, *rudere*, atque ut ait Virgilius: *clamorque virum, stridorque rudentum*.
Aut *inflexione*, cum ex noto novum verbum deducimus,

cimus, illud aliter inflectendo: ut *beatitas* a beatitudine, *necessitudo* a necessitate, *pedetentim* a pede, & tento &c.

Aut *adjunctione*, cum ex multis unum conflatur verbum, ut *consceleratus*, *contrucidare*, *circumvallatus*. *Solivagas* bestias dixit Cicero lib. 5. Tuscul. quæst.

Atque in verbis etiam est hæc distinctio, altera natura, tractatione altera. Natura, ut alia sint consonantiora, graviora, leniora, & quodammodo nitidiora; alia contra.

*Consonatoria* sunt. 1. Superlativa. 2. Quæ pluribus constant syllabis, ut *dominatrix*, quam domina; *moderatio*, quam modestia; *immanis*, quam magnus. 3. Composita; ita *præclarus*, *perofcurus*, *præpotens* *grandiloquus*, quam clarus, obscurus, potens, eloquens.

*Graviora* sunt, quæ rem magis augent, ita *caritas*, & *pietas* graviora, quam *amor*, & *benevolentia*; *latro*, quam *fur*; *carnifex*, quam *sicarius*; *sustentare*, quam *nutrire*: *trucidare*, quam *occidere*.

*Leniora*, & quodammodo nitidiora sunt, quæ molliter inflectuntur, uti *meliuscule*, *corculum*, *matercula*; tum quæ aut rei atrocitatem imminuunt, ut si *error* ponatur pro *scelere*; *prudens* pro *callido*; aut deformitatem tegunt: nunquam enim fordidis, ait Fabius, in oratione erudita locus.

Tractatione aut cum propria sumuntur rerum vocabula, aut addita ad nomen, aut nova, aut prisca, aut ab Oratore modificata, & inflexa quodammodo, qualia sunt ea, quæ transferuntur; aut immutantur, aut ea, quibus tanquam abutimur, aut



aut ea, quæ obſcuramus, quæ incredibiliter tollimus, quæque mirabilius, quam ſermonis conſuetudo patitur, ornamus.

Tractatione, ſeu Oratoris ſollertia deliguntur, aut *propria*; ut cum Livius Hannibalem loquentem inducens, ait: *Hannibal peto pacem*, nihil nomine proprio dici potuit magnificentius. Aut *addita ad nomen*, ſive epitheta, ſeu ſubſtantiva, ut *pater*, *uxor*, *diſcipulus*, vel adjectiva, ut *ſingularis*, *&* *eximia* virtus. Ita Cicero pro Cluentio primum propriis uſus eſt. *Saſſia fuit Cluentii mater*; deinde, additis ad nomen utens, inquit, *oppugnat filium mater*; quod ſane gravius eſt. Aut *nova*, quæ tamen nonniſi neceſſitatis cauſſa adhibenda ſunt: nova enim, inquit Fabius, non ſine quodam periculo fingimus. Aut *priſca*, quæ majeſtatem quandam afferunt orationi. Ita Virgilius dixit *quianam*, pro *cur*; *olli* pro *illi*; *fuat* pro *ſit*. Sed opus eſt modo, inquit Fabius, ut neque crebra ſint hæc, neque manifeſta, quia nihil eſt odioſius affectatione.

Aut *modificata*, & *inflexa quodammodo* a propria ſignificatione, qualia ſunt

1. Quæ transferuntur, ideſt metaphoræ.
2. Quæ immutantur per Hypallagen, ſeu Metonymiam: eſt enim hæc nominis pro nomine poſitio.
3. Ea, quibus tanquam abutimur per Catachreſin, ut cum dicimus *grandem* orationem pro *magna*, *minutum* animum pro *parvo*, *equitare* in arundine, *ſperare* dolorem, pro *timere*.
4. Ea, quæ obſcuramus per Allegoriam, præcipue ſi paullo obſcurior ſit, ut illud Terentii: *ſceleſta ovem lupo commiſiſti*.
5. *Quæ incredibiliter tollimus* per Hyperbolem, ut pro lege Manilia: *qui ſæpius cum hoſte conflixit, quam quiſquam cum inimico concertavit; plura bella geſſit, quam cæteri legerunt &c.*

6. Quæ

6. Quæ *mirabilius ornamus* per figuras, quæ præſertim rei amplificandæ vim habent.

## *De verbis conjunctis.*

F. HAbeo de ſimplicibus verbis; nunc de conjunctione quæro.

P. Numeri quidam ſunt in conjunctione ſervandi, conſecutioque verborum.

Conſecutionem verborum vocat Cicero, quæ a grammaticis concordantia dicitur.

Numeros aures ipſæ metiuntur, ne aut non compleas verbis, quod propoſueris, aut redundes. Conſecutio autem, ne generibus, numeris, temporibus, perſonis, caſibus perturbetur oratio. Nam ut in ſimplicibus verbis, quod non eſt latinum; ſic in conjunctis, quod non eſt conſequens, vituperandum eſt.

## *De quinque virtutibus orationis.*

COmmunia autem ſimplicium, conjunctorumque ſimul, hæc ſunt quinque quaſi lumina, dilucidum, breve, probabile, illuſtre, ſuave.

Dilucida eſſe debet oratio, ut intelligatur; brevis, ne tædium afferat; probabilis, ut fidem faciat; illuſtris, ut moveat; ſuavis, ut delectet.

## De perſpicuitate orationis.

DIlucidum fit uſitatis verbis, propriis, diſpoſitis, aut circumſcriptione concluſa, aut intermiſſione, aut conciſione verborum. Obſcurum autem aut longitudine, aut contractione, aut ambiguitate, aut inflexione, atque immutatione verborum.

*Circumſcriptionem* vocat Cicero periodum; *intermiſſionem* membrum; *conciſionem* inciſum: aliquando enim dicendum eſt cæſim, aliquando membratim, aliquando plena congerie: quæ tamen obſcuram efficit orationem, ſi nimis circumducatur, ſicuti inepti quidam ſolent, qui putant ſe tunc graviſſime dicere, ſi periodos quam longiſſimas adhibent.

Item nimia brevitas, de qua Horatius . . . . *brevis eſſe laboro, obſcurus fio*. Tum *ambiguitas*, ut *audivi Chremetem percuſſiſſe Demeam*; tandem *inflexio, & immutatio verborum*, cum aliud dicitur, aliud intelligitur, quod in allegoria fit, in proverbiis, & in ænigmatibus.

## De brevitate orationis.

BRevitas autem conficitur ſimplicibus verbis ſemel unaquaque re dicenda, nulli rei, niſi ut dilucide dicas, ſerviendo.

Brevitas conficitur 1. Simplicibus verbis, hoc eſt, detractis epithetis, & circumlocutionibus: in quo maxime Cæſar excellit. 2. cum ſemel tantum unamquamque rem dicimus; ita ut omnis commoratio, ac repetitio omittatur. 3. ſi perſpicuitati modo ſtudentes, omni exornatione, tanquam

veſte

veste detracta, res nudas exponamus, ut Cic. pro Milone: *Milo autem, quum in Senatu fuisset eo die, quoad Senatus dimissus est, domum venit, calceos, & vestimenta mutavit; paullisper, dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est &c.*

## *De probabilitate orationis.*

PRobabile autem genus est orationis, si non nimis est comtum, atque expolitum: si est auctoritas, & pondus in verbis: si sententiæ graves, vel aptæ opinionibus hominum, & moribus.

Nimius ornatus, addit Fabius, & eloquentia resupina, atque molliter effeminata, non est probabilis. Contra probabilis est oratio comta quidem, & expolita; neque enim patitur fordes; sed robusta, virilis, minime fucata: in quo Cicero totus est; verba enim rebus ipsis accommodat, interferitque sententias graves, atque hominum opinionibus consentaneas: ut pro lege Manilia: *Neque enim exercitum potest is continere Imperator, qui se ipsum non continet, neque severus esse in judicando, qui alios in se severos esse Judices non vult.*

## *De illustratione orationis.*

ILlustris autem oratio est, & verba gravitate delecta ponuntur, ac translata, & superlata, & ad nomen adjuncta, & duplicata, & idem significantia, atque ab ipsa actione, atque imitatione rerum non abhorrentia. Est enim hæc pars orationis, quæ rem con-

constituat pene ante oculos. Is enim maxime sensus attingitur, sed cæteri tamen, & maxime mens ipsa moveri potest. Sed quæ dicta sunt de oratione dilucida, cadunt in hanc illustrem omnia. Est enim plus aliquanto illustre, quam illud dilucidum: altero fit, ut intelligamus; altero vero, ut videre videamur.

Orationem illustrant 1. Verba gravia. 2. Translata. 3. Superlata. 4. Ad nomen adjuncta, de quibus jam diximus. 5. Duplicata, seu cum idem verbum duplicatur, ut pro Mil. *Valeant*, inquit, *valeant cives mei, sint incolumes, sint florentes, sint beati*. Item: *aspicite, aspicite, Judices, squallorem, sordesque sociorum*. 6. Idem significantia; ut illa in Catil. 2. *abiit, excessit, erupit, evasit*, & pro Mil. *hæc tanta virtus ex hac urbe expelletur, exterminabitur, ejicietur?* 7. Quæ actionem, aut rem exprimunt per hypotyposin, qua res non gesta indicatur, sed, ut gesta sit, ostenditur; ut in Verrem: *inter. dolorem, crepitumque plagarum*, in quibus verbera ipsa sonare videntur: & in Philip. 2. *personabant omnia vocibus ebriorum, natabant pavimenta vino, madebant parietes &c.*

## *De suavitate orationis.*

SUave autem genus erit dicendi, primum elegantia, & jucunditate verborum sonantium, & lenium: deinde conjunctione, quæ neque asperos habeat concursus, neque disjunctos, atque hiantes: & sit circumscripta non longo anfractu, sed ad spiri-

ſpiritum vocis apto; habeatque ſimilitudinem, æquabilitatemque verborum: tum ex contrariis ſumta verbis, crebra crebris, paria paribus reſpondeant: relataque ad idem verbum, & geminata, & duplicata, vel etiam ſæpius iterata ponantur: conſtructioque verborum tum conjunctionibus copuletur, tum diſſolutionibus relaxetur.

Fit etiam ſuavis oratio, cum aliquid aut inviſum, aut inauditum, aut novum dicas. Delectat enim quidquid eſt admirabile, maximeque movet ea, quæ motum aliquem animi miſcet oratio, quæque ſignificat oratoris ipſius amabiles mores: qui exprimuntur aut ſignificando judicio ipſius ex animo humano ac liberali: aut inflexione ſermonis, cum aut augendi alterius, aut minuendi ſui cauſſa, alia dici ab Oratore, alia exiſtimari videntur, idque comitate fieri magis, quam vanitate. Sed multa ſunt ſuavitatis præcepta, quæ orationem aut magis obſcuram, aut minus probabilem faciunt. Itaque etiam hoc loco nobis eſt ipſis, quid cauſſa poſtulet, judicandum.

Suavitas orationis altera verborum eſt, rerum altera. Prima tribus conficitur elegantia, compoſitione, figuris.

Elegantia fit delectu verborum, quæ jucunda ſint & leniter ſonent.

Compoſitio, ſeu conjunctio verborum ſuavis erit, 1. Si non habeat aſperos conſonantium concurſus,

velati,

veluti *Xerxes Rex Persarum* . 2. Si crebra non sit vocalium conversio , ut *bacchæ ae neæ amœnissimæ impendebant* . 3. Si non longo nimis anfractu periodos circumducat . 4. Si habeat similitudinem, æqualitatemque verborum ; ita ut idem fere sonus in verbis sit, atque eadem magnitudo.

Figuræ, quæ suavem efficiunt orationem sunt 1. Ex contrariis sumta verbis , sive antitheses, ut Cic. post reditum, *qui me a morte ad vitam , a desperatione ad spem , ab exitio ad salutem revocavit* . 2. Cum crebra crebris respondent, quæ congeries dicitur, ut pro Mil. *Est enim hæc , Judices, non scripta , sed nata lex ; quam non didicimus , accepimus, legimus ; verum ex natura ipsa arripuimus , hausimus, expressimus* . 3. Cum paria paribus respondent, sive cum duo, vel plura membra pari syllabarum numero proferuntur ; ut pro lege Manil. *Tantum bellum extrema hyeme apparavit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit* . 4. Relata ad idem verbum , quæ adjunctio vocatur : ut pro Cluent. *Vicit pudorem libido , timorem audacia , rationem amentia* . 5. Verba geminata, & duplicata , idest conduplicatio, ut pro Milone . *Occidi , occidi non Sp. Melium &c.* 6. Iterata verba , sive repetitio, cum multa membra, aut incisa ab eodem verbo incipiunt, ut pro Mil. *Fecit iratus, fecit inimicus, fecit ultor injuriæ*. 7. Constructio conjunctionibus copulata, sive polysyntheton, ut pro Mil. *Sin hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipsa præscripsit &c.* 8. Constructio dissolutionibus relaxata , sive asyntheton, ut Phil. 8. *At vero erecti, incitati, parati, armati animis jam esse debemus* .

Suavitas rerum fit 1. *Inviso* , quod nunquam antea visum fuit , veluti serpentes illi , a quibus Laocoontem, ejusque liberos discerpi videre Trojani . 2. *Inaudito*, quod nunquam antea auditum est . Ita Cic. Phil. 4. Cæsarem laudans , quod

pene

pene puer exercitum comparasset: *Multa*, inquit, *memini*, *multa audivi*, *multa legi*: *nihil ex omnium sæculorum memoria tale cognovi*. 3. *Novo*, quod nuper evenerit, aut non ita pridem factum sit, etsi per ironiam dicatur, ut pro Ligario: *novum crimen*, *C. Cæsar*, *& ante hunc diem inauditum propinquus meus ad te Q. Tubero detulit*, *Q. Ligarium in Africa fuisse*. 4. *Permotione animi*, ut Cic. in Verrem: *Grandis natu parens adductus ad supplicium*, *ex altera parte filius*, *flebat uterque non de suo supplicio*, *sed pater de filii morte*, *de patris filius*. 5. *Moribus oratoris*, si se humanum, ac liberalem ostendat; ut Cic. pro Cluent. *Abs te peto*, *Oppianice*, *ut me invitum de patris tui caussa dicere existimes*, *adductum fide*, *atque officio defensionis*. Aut si deflectat a cursu, augendi alterius, & minuendi sui caussa: ut idem pro Cor. Balbo Pompejum, qui ante dixerat, laudans: *Ei*, inquit, *succedo orationi*, *quæ non prætervecta sit aures vestras*, *sed in animis omnium penitus insederit*; *ut plus voluptatis ex recordatione illius orationis*, *quam non modo ex mea*, *sed ex cujusquam oratione capere possitis*.

## *De oratione conversa*, *& mutata*, *sive artificiosa in simplicibus verbis*.

*F.* Reliquum est igitur, ut dicas de conversa oratione, atque mutata.

*P.* Est itaque id genus totum situm in commutatione, quæ simpliciter in verbis ita tractatur, ut aut ex verbo dilatetur, aut in verbum contrahatur oratio. Ex verbo, cum aut proprium, aut idem significans,

aut factum in plura verba diducitur. Ex oratione, cum aut definitio ad unum verbum revocatur; aut assumta verba removentur; aut in circuitus diriguntur; aut in conjunctione fit unum verbum ex duobus.

*Verbum in plura verba diducitur*, si dixeris *Trojani belli scriptorem* pro Homero; *laudandarum artium omnium procreatricem*, *& parentem* pro Philosophia.

*Definitio ad unum verbum revocatur*, si pro facultate bene appositeque dicendi ad persuadendum, dixeris *eloquentiam*.

*Assumta verba removentur*, si ex ea Ciceronis oratione: *Nos Deorum immortalium templa, nos muros, nos domicilia, sedesque Populi Romani, Penates, aras, focos, sepulchra majorum, nos leges, jura, libertatem, conjuges, liberos, patriam defendimus*; removeas cetera, & dicas: *Nos patriam defendimus*.

*Aut in circuitus diriguntur*, ut si hæc duo Virgilii carmina: *Quem si fata virum servant, si vescitur aura ætherea, nec adhuc crudelibus occubat umbris*, ita contrahas, *qui vir si adhuc vivit*.

*Unum verbum fit ex duobus*, ut cum pro patris interfectore *parricidam* dicimus; pro populi fautore, *popularem*.

## *De oratione mutata, & conversa in verbis conjunctis.*

IN conjunctis autem verbis triplex adhiberi potest commutatio non verborum, sed ordinis tantummodo; ut cum semel dictum sit directe, sicut natura ipsa tulerit, invertatur ordo, & idem quasi sursum

versus,

versſus, retroque dicatur; deinde idem intercise, atque permiste. Eloquendi autem exercitatio maxime in hoc toto convertendi genere versatur.

Triplex est orationis commutatio, iisdem manentibus verbis. Prima directa, ut *Cicero liberavit patriam a conjuratione Catilinæ.* Altera inversa: ut *a Catilinæ conjuratione patriam liberavit Cicero.* Tertia mixta: ut *patriam a conjuratione Catilinæ Cicero liberavit.*

## *De actione.*

F. Actio igitur sequitur, ut opinor.

P. Est ita: quæ quidem oratori & cum rerum, & cum verborum momentis commutanda maxime est. Facit enim & dilucidam orationem, & illustrem, & probabilem, & suavem, non verbis, sed varietate vocum, motu corporis, vultu: quæ plurimum valebunt, si cum orationis genere consentient, ejusque vim, ac varietatem subsequentur.

## *De memoria.*

F. Numquid nam de oratore ipso restat?

P. Nihil sane præter memoriam, quæ est germana literaturæ quodam modo, & in dissimili genere persimilis. Nam ut illa con-

ſtat ex notis literarum, & ex eo, in quo imprimuntur illæ notæ: ſic confectio memoriæ, tamquam cera, locis utitur, & in his imagines, ut literas collocat.

Duplex memoria diſtinguitur naturalis, de qua nulla tradi præcepta poſſunt; & artificialis, quæ locis, & imaginibus conficitur; ideſt ſi orator quædam ſibi loca fingat, iiſque appingat imagines, quibus ipſi res, ac verba, quæ dicturus eſt, ræpreſententur. Cæterum recte ait Craſſus lib. 1. de orat. exercendam eſſe memoriam ediſcendis ad verbum quamplurimis & noſtris ſcriptis, & alienis: memoria enim excolendo augetur.

## PARS ALTERA.

### *De oratione, ejuſque partibus.*

*F.* QUoniam igitur vis oratoris omnis expoſita eſt, quid habes de orationis præceptis dicere?

*P.* Quatuor eſſe ejus partes: quarum prima, & poſtrema ad motum animi valet. Is enim initiis eſt, & perorationibus concitandus. Secunda narratio, & tertia confirmatio fidem facit orationi. Sed amplificatio, quamquam habet proprium locum, ſæpe etiam primum, poſtremum quidem fere ſemper; tamen reliquo in curſu orationis adhibenda eſt, maximeque cum aliquid

quid aut confirmatum est, aut reprehensum. Itaque ad fidem quoque vel plurimum valet. Est enim amplificatio vehemens quædam argumentatio, ut illa docendi caussa sit, hæc commovendi.

Est autem oratio sermo elegans, copiosus, ornatus, atque ad persuadendum accommodatus.

## *De principio, sive exordio.*

*F.* PErge igitur ordine quatuor mihi istas partes explicare.

*P.* Faciam, & a principiis primum ordiar. Quæ quidem ducuntur aut ex personis, aut ex rebus ipsis. Sumuntur autem trium rerum gratia: ut amice, ut intelligenter, ut attente audiamur.

Exordium (inquit Cic. lib. 1. de invent.) est *oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem*: quod eveniet, si eum benevolum, attentum, docilem fecerit. In duas partes tribuitur, in principium, & insinuationem. Principium est *oratio perspicue, & protinus perficiens auditorem benevolum, & docilem, & attentum.* Insinuatio est *oratio quadam dissimulatione, & circuitione obscure subiens auditoris animum.* Hac uti debemus, cum agitur caussa turpis, vel anceps, vel cum ab ea vehementer alienati sunt auditorum animi. Optimum insinuationis exemplum habes in 2. orat. in Rullum.

Quorum primum locus est in personis nostris, disceptatorum, adversariorum: e quibus

 initia

initia benevolentiæ conciliandæ comparantur aut meritis nostris, aut dignitate, aut aliquo genere virtutis, & maxime liberalitatis, officii, justitiæ, fidei: contrariisque rebus in adversarios conferendis, & cum iis, qui disceptant, aliqua conjunctionis aut caussa, aut spe significanda; & si in nos aliquod odium, offensiove collata sit, tollenda ea, minuendave, aut diluendo, aut extenuando, aut compensando, aut deprecando.

Tria benevolentiam ab oratoris persona conciliant 1. Merita, ut Cic. pro Flacco: *Cum in maximis periculis hujus urbis, atque imperii, gravissimo, atque acerbissimo Reipublicæ casu socio, atque adjutore consiliorum, periculorumque meorum L. Flacco cædem a vobis, conjugibus, liberis vestris, vastitatem a templis, delubris, urbe, Italia repellebam; sperabam, judices, honorum potius L. Flacci me adjutorem futurum, quam miseriarum deprecatorem.* Similiter etiam si ipsorum auditorum beneficia in nos collata commemoremus: ut post reditum: *Si P. C., pro vestris immortalibus in me, fratremque meum, liberosque nostros meritis parum cumulate gratias egero &c.*

2. Dignitas, ut Cic. cum a propria, tum a Murænæ dignitate ipsum ambitu s accusatum commendans: *Idem*, inquit, *Consul eum vestræ fidei commendat, qui antea Diis immortalibus commendavit, ut ejusdem hominis voce & declaratus Consul, & defensus beneficium populi cum vestra, atque omnium civium salute tueatur.*

3. Virtus; Ut idem Verrem accusaturus ait: *Adductus sum, judices, officio, fide, misericordia, multo-*

*multorum bonorum exemplo, veteri consuetudine, instituto que majorum, ut onus hoc laboris, & officii non ex meo, sed ex meorum necessariorum tempore mihi suscipiendum putarem.*

Ab adversariorum persona benevolentia colligitur, contraria in ipsos conferendo, idest eorum maleficia, indignitatem, improbitatemque ostendendo: ut Cic. pro Dejotaro: *Crudelis Castor, ne dicam sceleratum, & impium, qui nepos avum in discrimen capitis adduxerit, adolescentiæque suæ terrorem intulerit ei, cujus senectutem tueri, & tegere debebat*. Et pro Mil. *Unum genus est adversum, infestumque nobis eorum, quos Publii Clodii furor rapinis, & incendiis, & omnibus exitiis publicis pavit*.

A disceptatorum persona 1. Si ostendamus caussam cum eorum honestate, aut utilitate conjunctam. ita Cic. affirmat se in accusando Verre ad levandam judiciorum infamiam accessisse. 2. Si spem in eorum fide, atque integritate collocasse significemus. Ita Cic. pro S. Roscio Amer: *Fide, sapientiaque vestra fretus plus oneris sustuli, quam ferre me posse intelligo: si vos aliqua ex parte allevabatis, feram, ut potero, studio, & industria judices*. 3. Si antecaptas eorum animis opiniones evellere conabimur: quod exordium dicitur per prolepsim, ut exemplo est principium orat. pro Roscio Amer.

## *De docilitate comparanda.*

INtelligenter autem ut audiamur, & attente, a rebus ipsis ordiendum est. Sed facillime auditor discit, & quid agatur, intelligit, si complectare a principio genus, natu-

naturamque caussæ, si definias, si dividas, si neque prudentiam ejus impedias confusione partium, nec memoriam multitudine; quæque mox de narratione dilucida dicentur, eadem etiam huc poterunt recte referri.

Docilitas comparatur a rebus, si a principio caussæ summam aperiamus, aut, si dubia sit, definitione explicemus, ne diu suspensa disceptatorum expectatio teneatur. Ita Cic. de provinc. Consul. *Si quis vestrum, P. C. expectat, quas sim provincias decreturus, consideret ipse secum, qui mihi homines ex provinciis potissimum detrahendi sint.*

Aut si eam adeo distincte, breviterque partiamur, ut facile intelligi ab auditoribus, ac retineri possit. Ita Cic. Phil. 1. *Antequam de Republica, P.C., dico ea, quæ dicenda hoc tempore arbitror, exponam vobis breviter consilium & profectionis, & reversionis meæ.* Recte enim habita, inquit idem, in caussa partitio illustrem, & perspicuam totam efficit orationem.

## *De concilianda attentione.*

UT attente autem audiamur; trium rerum aliqua consequemur. Nam aut magna quædam proponemus, aut necessaria, aut conjuncta cum ipsis, apud quos res agetur.

Magna proponit Tullius pro C. Rabirio: *Sic enim existimare debetis, Quirites, post hominum memoriam, rem nullam majorem, magis periculosam, magis ab omnibus vobis providendam, neque à Tribunis plebis suscep-*

*susceptam, neque a Consule defensam, neque ad Pop. Rom. esse delatam.*

*Necessaria* initio Phil. 7. *Parvis de rebus, sed fortasse necessariis consulimur.*

*Conjuncta cum disceptatoribus*, ideft ipfis utilia, & honefta initio act. 2. in Verrem: *Quod erat maxime optandum, judices, & quod unum ad invidiam vestri ordinis, infamiamque judiciorum sedandam maxime pertinebat, id non humano consilio, sed prope divinitus datum, atque oblatum summo Reipub. tempore videtis.*

## *De quibusdam adjunctis, unde principia sumi possunt.*

SIT autem hoc etiam in præceptis, ut fi quando tempus ipfum, aut res, aut locus, aut interventus alicujus, aut interpellatio, aut ab adverfario dictum aliquod, & maxime in perorando, dederit occafionem nobis aliquam, ut dicamus aliquid ad tempus apte, ne derelinquamus: & quæ fuo loco de amplificatione dicemus, multa ex his poterunt ad Principiorum præcepta transferri.

1. A tempore Cic. totum pro M. Cælio exordium duxit, quod diebus feftis, ludifque publicis judicium illud exerceretur. 2. Ab improvifa, & infolita re pro Mil. *Hæc novi judicii nova forma terret oculos, qui quocunque inciderint, veterem consuetudinem fori, & pristinum morem judiciorum requirunt*. 3. A loco pro Dejot. *Moveor etiam loci ipsius insolentia &c.*

De

F. QUid? in narratione quæ tandem conservanda sunt?

P. Quoniam narratio est rerum explicatio, & quædam quasi sedes, ac fundamentum constituendæ fidei; ea sunt in ea servanda maxime, quæ etiam in reliquis fere dicendi partibus: quæ partim sunt necessaria, partim sunt assumta ad ornandum. Nam ut dilucide, probabiliterque narremus, necessarium est: sed assumimus etiam suavitatem.

Ergo ad dilucide narrandum eadem illa superiora explicandi, & illustrandi præcepta repetemus, in quibus est brevitas: eaque sæpissime in narratione laudatur, de qua supra dictum est.

Probabilis autem erit; si personis, si temporibus, si locis ea, quæ narrabuntur, consentient; si cujusque facti, & eventi caussa ponetur; si testata dici videbuntur: si cum hominum opinione, auctoritate; si cum lege, cum more, cum religione conjuncta: si probitas narrantis significabitur, si antiquitas, si memoria, si orationis veritas, & vitæ fides.

Suavis autem narratio est, quæ habet admirationes, expectationes, exitus inopinatos,

si

si interpositos motus animorum, colloquia personarum, dolores, iracundias, metus, lætitias, cupiditates. Sed jam ad reliqua pergamus.

Afferenda hic essent oratoriæ narrationis exempla: sed ut brevitati consulamus, satis est nonnulla indicare. Vide sis narrationes pro Roscio Amer: & pro Mil. numeris omnibus absolutissimas. Item narrationem de Philodamo Lampsaceno act. 1. & & de Gavio cive Rom. act. 8. in Verrem, quæ sine summa commiseratione legi non possunt.

In judiciali genere narrationi subjicitur propositio; quæ definitur status oratorii enunciatio: quid enim nobis cum adversario conveniat, & quid in controversia relinquatur, explanat. In reliquis vero generibus exordio subjungitur; atque adeo breviter, & dilucide caussæ summam aperire debet, ut non modo nullo labore intelligi possit, sed etiam non possit non intelligi.

Propositioni sæpe rationes subnectimus, ut Cic. Phil. 7. *Cur pacem nolo? Quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest*. Aut caussæ summam in duo, vel tria membra diducimus, ut idem pro Leg. Man. *Primum mihi videtur de genere belli; deinde de magnitudine; tum de imperatore deligendo esse dicendum*. Atque hæc vocatur partitio. Quæ autem partitio rerum distributam continet expositionem, hæc habere debet, brevitatem, absolutionem, paucitatem. Brevitas est, cum nisi necessarium, nullum assumitur verbum. Absolutio est, per quam omnia, quæ incidunt in caussam, genera, de quibus dicendum est, amplectimur. Paucitas servatur, si genera ipsa rerum ponuntur, neque permixte cum partibus implicantur.

Illud cavendum est etiam, ne proponantur paradoxa, seu argumenta, quæ a communi hominum opi-

opinione aliena sunt; præter enim quam quod nimiæ diligentiæ, ingeniique ostentandi suspicionem injiciunt, nunquam satis apte demonstrari possunt. Oratori autem, qui popularis esse debet, non tam videndum est, quid proponat, quam, quomodo probet auditoribus, quod proposuerit.

### *De confirmatione.*

F. NEmpe ea sequuntur, quæ ad faciendam fidem pertinent.

P. Ita est, quæ quidem in confirmationem, & in reprehensionem dividuntur. Nam in confirmando, nostra probare volumus: in reprehendendo, redarguere contraria. Quoniam igitur omne, quod in controversiam venit, id aut sit, nec ne sit, aut quid sit, aut quale sit, quæritur: in primo conjectura valet, in altero definitio, in tertio ratio.

### *De confirmatione in statu conjecturali.*

F. TEneo istam distributionem. Nunc conjecturæ locos quæro.

P. In verisimilibus, & in propriis rerum notis posita est tota. Sed appellemus docendi gratia verisimile, quod plerumque ita fiat: ut adolescentiam procliviorem esse ad libidinem. Propriæ autem notæ argumentum, quod nunquam aliter fit, certumque

tumque declarat, ut fumus ignem. Verisimilia reperiuntur ex partibus, & quasi membris narrationis: ea sunt in personis, in locis, in temporibus, in factis, in eventis, in rerum ipsarum, negotiorumque naturis.

*De verisimilibus in personis.*

IN personis naturæ primum spectantur, valetudinis, figuræ, virium, ætatis, marium, fœminarum; atque hæc quidem in corpore. Animi autem, aut quemadmodum affecti sunt, virtutibus, vitiis, artibus, inertiis: aut quemadmodum commoti, cupiditate, metu, voluptate, molestia. Atque hæc quidem in natura spectantur. In fortuna, genus, amicitiæ, liberi, propinqui, affines, opes, honores, potestates, divitiæ, libertas, & ea, quæ sunt iis contraria.

A personis caussam Sex. Roscii Amer., quæ in statu conjecturali versatur, ita agit Cicero, ut Roscius non modo a parricidio, cujus accusabatur, sed etiam ab omni flagitio videatur alienus; quod assiduus esset in prædiis colendis, quod voluntate patris rei familiari, vitæque rusticæ se dedisset, quod integris, & castis moribus esset: contra docet adversarios sceleştos, audaces, inopes, Roscii patris inimicissimos, ut verisimilius sit ab ipsis, quam a filio patrem Roscium interfectum.

Sup-

Suppeditat etiam exemplum cauſſa Milonis, in qua eſt perſona Clodii ſeditioſi, ac violenti hominis, inimici Milonis.

## *De veriſimilibus in locis.*

IN locis autem, & illa naturalia, maritimi, an remoti a mari: plani, an montuoſi: læves, an aſperi: ſalubres, an peſtilentes: opaci, an aprici: & illa fortuita, culti, an inculti: celebres, an deſerti: ædificati, an vaſti: obſcuri, an rerum geſtarum veſtigiis nobilitati: conſecrati, an profani.

A loco oſtendit Cicero Roſcium a filio occiſum non eſſe, quod Romæ fuerit interfectus ad balneas Palatinas, ubi frequentes erant inimici, qui ejus vitæ inſidiabantur, cum interim filius eſſet Ameriæ in rebus ruſticis occupatus. Et Clodium inſidiatorem fuiſſe, quod Milonem ante fundum ſuum aggreſſus ſit, atque in ipſum e loco ſuperiori impetum fecerit.

## *De veriſimilibus in temporibus.*

IN temporibus autem, præſentia, & præterita, & futura cernuntur. In his ipſis vetuſta, recentia, inſtantia paullo poſt, aliquando futura. Inſunt etiam in temporibus illa, quæ temporis quaſi naturam notant, ut hyems, ver, æſtas, autumnus: aut anni tempora, ut menſis, ut dies, ut

nox,

nox ; hora , tempestas , quæ sunt naturalia . Fortuita autem , sacrificia , festi dies, nuptiæ . Jam facta , & eventus , aut consilii sunt , aut imprudentiæ : quæ est aut in casu, aut in quadam animi permotione. Casu , cum aliter accidit , ac putatum sit. Permotione , cum aut oblivio , aut error, aut metus , aut aliqua cupiditatis caussa permovit . Est etiam in imprudentia necessitas ponenda .

A tempore probat Cicero Clodium insidias Miloni struxisse , quod *Roma pridie , atque ita profectus sit, ut concionem turbulentam , in qua ejus furor desideratus est , quæ illo ipso die habita est , relinqueret , quam nisi obire facinoris locum , tempusque voluisset ; nunquam reliquisset : Milo vero profectus sit id temporis , cum jam Clodius redire potuisset .*

A consilio idem probat : nam Clodius , cum sibi Milonem rebus in omnibus adversari videret , ejus interficiendi consilium cepit .

Ab imprudentia Ligarium excusat , quod errore , & fatali quadam necessitate Pompeii arma secutus sit .

## *De verisimilibus in rebus .*

Rerum autem bonarum , & malarum tria sunt genera . Nam aut in animis , aut in corporibus , aut extra esse possunt . Hujus igitur materiæ ad argumentum subjectæ , perlustrandæ animo partes erunt omnes , & ad id , quod agetur , ex singulis conjectura capienda . Veri-

Verisimilia rerum cum bona, tum mala ita etiam personis annexa sunt, & cohærent, ut non re ipsa, sed cogitatione tantum separari possint.

## *De signis.*

EST etiam genus argumentorum aliud, quod ex facti vestigiis sumitur, ut telum, cruor, clamor editus, titubatio, permutatio coloris, oratio inconstans, tremor, & eorum aliquid, quod sensu percipi possit: etiam si præparatum aliquid, si communicatum cum aliquo, si postea visum, auditum, indicatum. Verisimilia autem partim singula movent suo pondere; partim, etiamsi videntur esse exigua per se, multum tamen, cum sunt coacervata, proficiunt. Atque in his verisimilibus insunt nonnunquam etiam certæ rerum, & propriæ notæ.

Signa a verisimilibus in eo differunt, quod hæc animo tantum; illa vero sensu, audituque capiuntur; eandem tamen vim habent. Ex signis alia necessaria sunt, quæ a Græcis τεκμήρια dicuntur, a Cicerone *propriæ notæ*; ut cicatrix signum est vulneris: alia non necessaria, quæ σημεῖα, ut telum, cruor &c. signa sunt cædis, sed tantum probabilia: quæ tamen multum, si sunt coacervata, proficiunt, ut æque nonnunquam valeant, ac propriæ notæ, seu signa necessaria: ut pro Mil. *Video adhuc constare omnia, judices, Miloni etiam utile fuisse Clodium vivere; illi ad ea, quæ concupierat, optatissimum interitum Milonis.*

De

## De exemplo, similitudine, & fabula.

MAximam autem facit fidem ad similitudinem veri primum exemplum, deinde introducta rei similitudo: fabula etiam nonnunquam, etsi sit incredibilis, tamen homines commovet.

Exemplum est rei gestæ utilis ad persuadendum commemoratio. Ita Cicero, cum adversarii Milonis dixissent intueri lucem nefas esse illi, qui a se hominem occisum fateretur, id esse falsum probat multis exemplis, ut Horatii, qui sororem interfecit, & tamen fuit absolutus; ut Ahalæ, qui Sp. Melium; Nasicæ, qui Tib. Gracchum; Marii, qui Saturninum occidit.

De similitudine jam diximus pag. 13.

Fabula est rei fictæ utilis ad persuadendum commemoratio. Ita Cic. pro Roscio Amerino; *Videtis ne, quos nobis poetæ tradiderunt patris ulciscendi caussa supplicium de matre sumsisse; quum præsertim Deorum immortalium jussis, atque oraculis id fecisse dicantur; tamen ut eos agitent furiæ, neque consistere usquam patiantur!*

## De confirmatione in statu definitivo.

**F.** QUid? definitionis quæ ratio est, & quæ via?

**P.** Non dubium est id quidem, quin definitio genere declaretur, & proprietate quadam, aut etiam communium frequentia, ex quibus proprium quid sit, eluceat. Sed quoniam de propriis oritur plerumque

magna dissensio, definiendum est sæpe ex contrariis, sæpe etiam ex dissimilibus, sæpe ex paribus. Quamobrem descriptiones quoque sunt in hoc genere sæpe aptæ, & enumeratio consequentium, in primisque commovet explicatio vocabuli, ac nominis.

Ubi quæritur, quid sit res, aut quo nomine appellanda sit, utendum est definitione, quæ octo modis fieri hic docet Cicero.

1. Ex genere, & differentia, uti diximus pag. 12.
2. Ex communium frequentia, ut idem: *Voluptatem hanc esse sentiunt omnes, quam sensus accipiens movetur, & jucunditate quadam perfunditur.*
3. Ex contrariis, ut pro P. Sextio: *Optimates sunt, qui neque nocentes sunt, nec natura improbi, nec furiosi, nec malis domesticis impediti.*
4. Ex dissimilibus: ut pro Cœlio: *Aliud est maledicere, aliud accusare: accusatio crimen desiderat, rem, ut definiat, hominem, ut notet, argumento probet, teste confirmet. Maledictio autem nihil habet propositi, præter contumeliam.*
5. Ex paribus, *ut idem est continentia in rebus nostris, quod abstinentia in alienis.*
6. Ex descriptione, ut illa, qua Tullius pro M. Cœlio mores Catilinæ graphice pingit.
7. Ex enumeratione consequentium: ut Phil. 8.: *D. Brutus oppugnatur, non est bellum? Mutina obsidetur, ne hoc quidem bellum est?.. delectus tota Italia decreti, sublatis vacationibus: saga cras sumentur: Consul se cum præsidio descensurum esse dixit: utrum hoc bellum non est?*
8. Explicatione vocabuli; ut eadem Philip.: *Quid est enim tumultus, nisi perturbatio tanta, ut non major timor oriatur? unde etiam nomen ductum est tumultus.*

*De confirmatione in statu qualitatis.*

F. Sunt exposita jam fere ea, quæ de facto, quæque de facti appellatione quæruntur. Nempe igitur ea restant, quæ, cum factum constet, & nomen; qualia sint, vocatur in dubium.

P. Est ita, ut dicis.

F. Quæ sunt igitur in eò genere partes?

P. Aut jure factum depellitur, aut ulciscendi doloris gratia, aut pietatis, aut pudicitiæ, aut religionis, aut patriæ nomine, aut denique necessitate, inscitia, casu. Nam quæ motu animi, & perturbatione facta sine ratione sunt, ea defensionem contra crimen in legitimis judiciis non habent, in liberis disceptationibus habere possunt. Hoc in genere, in quo, quale sit, quæritur, ex controversia, jure, & recte-ne actum sit, quæri solet: quorum disputatio ex locorum descriptione sumenda est.

Cum nec de facto, nec de facti nomine quæritur, sed tantum quale sit, duplex ratio est: altera absoluta, cum jure factum ostenditur; ut pro Milone Cicero probat natura esse concessum, ut vim vi repellamus; & ait, gladium ad interficiendum hominem ab ipsis aliquando porrigi legibus. Altera assumtiva, cum, ut recte factum defendatur, caussa assumitur, aut ulciscendi dolor, aut pietas, aut religio, aut patriæ utilitas, aut necessitas. Quæ vero vehementiori animi motu fa-

cta sunt, nullam in judiciis defensionem habent; apud Principem, vel Populum habere possunt; tuncque dicitur deprecatio, qua usus est Horatius pater apud Pop. Rom. pro filio sororis interfectore; & Cicero pro Ligario, ubi inquit: *Ego ad parentem loquor: erravi, temere feci, pœnitet, ad clementiam confugio, ut ignoscas, oro.*

## *De reprehensione, seu confutatione.*

F. Agesis ergo, quoniam in confirmationem, & reprehensionem diviseras orationis fidem, & dictum de altero est, expone nunc de reprehendendo.

P. Aut totum est negandum, quod in argumentatione adversarius sumserit, si fictum, aut falsum esse possis dicere: aut redarguenda ea, quæ pro verisimilibus sumta sunt. Primum dubia sumta esse pro certis. Deinde etiam in perspicue falsis eadem posse dici: tum ex iis, quæ sumserint, non effici, quæ velint. Accedere autem oportet ad singula: sic universa frangentur. Commemoranda sunt etiam exempla, quibus simili in disputatione creditum non sit: conquerenda conditio communis periculi, si ingeniis hominum criminosorum sit exposita vita innocentium.

1. Confutandi ratio omnium firmissima, si totum negari possit, quod fictum, seu commentitium sit; aut falsum, sive ab errore profectum. Ita pro Dejot. cum adversarius dixisset Dejotarum ebrium

in

in convivio saltasse, totum negat Cicero, & hoc a Dejotari moribus abhorrere dicit.

2. Si ostendatur ab adversariis dubia sumta esse pro certis. Ita pro Cluen. cum judicium corruptum fuisse constaret, concluserant adversarii id a Cluentio factum; vocat hoc in dubium Cicero, & potius ab Oppianico, quam a Cluentio corruptum ostendit.

3. Si dicamus, quæ ab adversariis allata sunt, eadem in perspicue falsis dici posse; ut pro Cœlio, cum eum impudicum accusatores dixissent, ait Cicero: *Sunt ista maledicta pervulgata in omnes, quorum in adolescentia forma, & species fuit liberalis.*

4. Si ex iis, quæ adversarii sumserunt, non effici tamen, quæ velint, demonstretur. Ita quamvis odisset Clodium Milo, non tamen illi fecit insidias; quamvis in Populum Rom. liberalis Muræna fuerit: non ideo corrupit, ut se consulem faceret.

5. Si, quæ ab adversariis coacervatim dicta sunt, ut multa viderentur, ea singillatim diluamus; veluti cum Sertorius equinæ caudæ pilos paullatim facilius evelli, quam omnes simul, edocuit: Hispanos hac imagine adhortans, ne tota acie, sed paullatim Romanos aggrederentur.

6. Si exempla caussæ nostræ similia afferantur; ut pro Roscio Amer. probat Cicero non facile parricidii crimen esse credendum exemplo T. Clœlii Terracinensis, qui jugulatus fuit in eodem conclavi, ubi essent duo adolescentes filii; qui de parricidio accusati, statim absoluti sunt, quoniam aperto ostio dormientes reperti fuerant.

7. Si communem periculi conditionem deploremus, quod sæpenumero Cicero facit, cum ostendit commune malum esse, commune periculum, si hominibus improbis fides adhibeatur.

F. QUoniam unde inveniuntur quæ ad fidem pertinent, habeo; quemadmodum in dicendo singula tractentur, expecto.

P. Argumentationem quærere videris, quæ est argumenti explicatio: quæ sumta ex iis locis, qui sunt expositi, conficienda, & distinguenda dilucide est.

F. Plane istuc ipsum desidero.

P. Est ergo, ut supra dictum est, explicatio argumenti argumentatio: sed ea conficitur, cum sumseris aut non dubia, aut probabilia, ex quibus id efficias, quod aut dubium, aut minus probabile per se videtur.

Quum argumentatio colligat aliud per aliud, & quod est dubium, per id, quod dubium non est, confirmet; ex locis communibus vel cujusque generis propriis sumenda sunt aut *non dubia*, seu certa, & perspicua. Ita ex eo, quod certum est, fas esse insidiatorem occidere, colligit Cicero, Clodium a Milone jure cæsum fuisse.

Aut *probabilia*, seu quæ hominum opinione vera esse creduntur. Ita quum probabile sit a filio frugi, bonoque patrem necari non solere, ex illo conficit Tullius Roscium non esse parricidam.

Omnis autem argumentatio (ait Cicero lib. 1. de invent.) per *inductionem* tractanda est, aut per *ratiocinationem*.

Inductio ea est, quæ ex multis rebus aliquid propter similitudinem efficit: ut Quintil. *Quod pomum generosissimum? puto quod optimum: & quis equus? qui velo-*

*velocissimus : ita hominum non qui claritate nascendi, sed qui virtute maxime excellit.* Quare exemplum, quo unum ex altero colligitur ob similitudinem, pars est inductionis.

Ratiocinatio, græce syllogismus, est oratio ex re ipsa probabile aliquid eliciens, quod expositum, & per se cognitum sua se vi, & ratione confirmat. Ita Cicero probans Pompejum esse summum Imperatorem, hac utitur ratiocinatione: *Ille summus est Imperator, in quo inest scientia rei militaris, virtus, auctoritas, & felicitas: Hæc quatuor insunt Pompejo: Pompejus igitur summus est Imperator.* Quare tribus partibus constat syllogismus, quarum prima propositio dicitur; altera assumtio: tertia complexio, sive conclusio.

Quod si propositioni, & assumtioni, aut alterutri adjiciatur approbatio; ita ut quinque, aut quatuor constet partibus, vocatur syllogismus oratorius, a nonnullis epicherema. Hujusmodi argumentatione usus est Cicero pro Roscio Amer. *Qui vita vita rustica delectantur, nullo scelere, nullis flagitiis imbuti esse solent, sed probatis moribus præditi: est enim ea vita disjuncta a cupiditate, & cum officio conjuncta, parsimoniæ, diligentiæ, justitiæ magistra. Roscius autem in vita rustica educatus fuit; eum enim pater suus ruri esse volebat, ut rerum familiarium curam gereret: nullo igitur scelere imbutus est; ita neque de parricidio cogitavit.*

Si vero aut propositio, aut assumtio reticeatur: ita ut duabus modo partibus constet, dicitur enthymema; ut *omnis insidiator jure occiditur: jure igitur occisus est Clodius:* hic enim reticetur assumtio. Quamvis Aristoteles in eo enthymema a syllogismo discreverit; quod hic in rebus certis; illud in probabilibus tantum versetur.

His addendum est dilemma, & sorites. Est autem dilemma argumentatio a contrariis, quorum si unum effugias, in alterum incidas, necesse est:

 ut

ut illud: *Si severus, cur non in omnes? Si misericors, cur non in suos?*

Sorites vero est argumentatio, quæ ex pluribus firmamentis simul connexis aliquid colligit, ut, *avari multa concupiscunt: qui multa concupiscunt, multis egent: qui multis egent, sunt miseri: avari igitur sunt miseri.*

## *De argumentationis dispositione.*

Argumentandi autem duo sunt genera: quorum alterum ad fidem directo spectat; alterum se inflectit ad motum. Dirigitur, cum proposuit aliquid, quod probaret, sumsitque ea, quibus uteretur; atque his confirmatis, ad propositum se se retulit, atque conclusit. Illa autem altera argumentatio quasi retro, & contra prius sumit, quæ vult, eaque confirmat: deinde id, quod proponendum fuit, permotis animis jacit ad extremum. Est autem illa varietas in argumentando, & non injucunda distinctio: ut cum interrogamus nosmet ipsos, aut percunctamur, aut imperamus, aut optamus: quæ sunt cum aliis compluribus sententiarum ornamenta. Vitare autem similitudinem poterimus, non semper a proposito ordientes: & si non omnia confirmando disputabimus, breviterque interdum, quæ erunt satis aperta,

pone-

ponemus: quodque ex his efficitur, si id apertum sit, non habebimus necesse semper concludere.

Duplex argumentationis tractandæ ratio est: altera, quæ ad fidem faciendam spectat, cum dialecticorum more syllogismi propositio primum, deinde assumtio ponitur, subjiciturque conclusio.

Altera, quæ non tam ad fidem pertinet, quam ad motum, cum ordine inverso progredimur, ut magis lateat artificium. Ita in orat. pro Cœlio ponitur primo conclusio: *In M. Cælio nulla luxuries reperitur, nulli sumtus, nullum æs alienum, nulla conviviorum libido*; paullo post additur assumtio: *audivistis, cum pro se diceret, audivistis antea cum accusaret ( defendendi hæc caussa, non gloriandi loquor ) genus orationis, facultatem, copiam sententiarum, ac verborum*. Postremo subnectitur propositio: *Atqui scitote, judices, eas cupiditates, quæ objiciuntur Cælio, hæc studia, de quibus disputo, non facile in eodem homine esse posse*: quam propositionem additis rationibus confirmat Tullius.

Quoniam vero omnibus in rebus ( inquit idem lib. 1. de invent. ) similitudo est satietatis mater, variare orationem magnopere oportet. Id fieri poterit, si non similitudine semper ingrediamur in argumentationem. Nam primum omnium generibus ipsis distinguere convenit orationem, hoc est tum inductione, tum ratiocinatione. Deinde in ipsa argumentatione non semper a propositione incipere, nec semper quinque partibus abuti, neque eadem ratione expolire partitiones: sed tum ab assumtione incipere licet; tum ab approbatione alterutra, tum utraque; tum hoc, tum illo genere complexionis uti.

Plurimum quoque ad id conferunt sententiarum ornamenta, 1. Cum interrogamus nosmetipsos, ut

Teren-

Terentius in Eunucho: *Quid igitur faciam? Non eam, ne nunc quidem, cum accersor?*

2. Cum percunctamur adversarios, ut ab illis etiam invitis confessio argumentationis vi exprimatur. Ut pro Cæcinna: *Responde, si tibi videtur, in fundum Cæcinna utrum voluit tandem, an non potuit accedere, cum te obstitisse, & repudiasse dicis? certe hunc voluisse concedis. Potes igitur dicere, non ei vim fuisse impedimento, cui, cum cuperet, eoque consilio venisset, per homines coactos non sit licitum accedere?* Acrius hic dilemma efficit percunctatio.

3. Cum imperamus, ut pro Cluent. *Judices, si scelus odistis, prohibite aditum matris a filii sanguine:* & pro Mil. *Excitate, excitate, eum, si potestis, ab inferis, frangetis impetum vivi, cujus vix sustinetis furias insepulti?* Hic etiam subest enthymema.

4. Cum optamus: ut pro Rabirio; *Utinam hanc mihi facultatem caussa concederet, ut possem hoc prædicare C. Rabirii manu L. Saturninum hostem Pop. R. interfectum!*

## *De locis assumtis.*

*F.* QUid illa, quæ sine arte appellantur, quæ jam dudum assumta dixisti, ecquonam modo, ecquonam loco artis indigent?

*P.* Illa vero indigent: & nec eo dicuntur sine arte, quod ita sunt; sed quod ea non parit oratoris ars, sed foris ad se delata, tamen arte tractat, & maxime in testibus. Nam de toto genere testium, quam id sit infirmum, sæpe dicendum est; & argumenta, rerum esse propria: testimonia, volun-

luntatum: utendumque eſt exemplis, quibus teſtibus creditum non ſit: & de ſingulis teſtibus, ſi natura vani, ſi leves, ſi cum ignominia, ſi ſpe, ſi metu, ſi iracundia, ſi miſericordia impulſi, ſi præmio, ſi gratia adducti: comparandique ſuperiore cum auctoritate teſtium, quibus tamen creditum non ſit. Sæpe etiam quæſtionibus reſiſtendum eſt, quod & dolorem fugientes multi tormentis ementiti perſæpe ſunt, morique maluerunt falſum fatendo, quam vere inficiando dolere. Multi etiam ſuam vitam neglexerunt, ut eos, qui his cariores, quam ipſi ſibi eſſent, liberarent. Alii autem aut natura corporis, aut conſuetudine dolendi, aut metu ſupplicii, aut mortis vim tormentorum pertulerunt. Alii ementiti ſunt in eos, quos oderant. Atque hæc exemplis firmanda ſunt. Neque eſt obſcurum, quin, quoniam in utraque parte ſunt exempla, & item ad conjecturam faciendam loci, in contrariis contraria ſint ſumenda. Atque etiam incurrit alia quædam in teſtibus, & in quæſtionibus ratio. Sæpe enim ea, quæ dicta ſunt, ſi aut ambigue, aut inconſtanter dicta ſunt, aut etiam aliter ab alio dicta, ſubtiliter reprehenduntur.

De

## De Peroratione.

F: EXtrema tibi pars restat orationis, quæ posita in perorando est, de qua sane velim audire.

P. Facilior explicatio est perorationis. Nam est divisa in duas partes, amplificationem, & enumerationem. Augendi autem, & hic est proprius locus in perorando: & in cursu ipso orationis declinationes ad amplificandum dantur, confirmata re aliqua, aut reprehensa.

Etsi proprius amplificationis locus sit in peroratione; adhiberi etiam solet in reliqua oratione, præsertim cum res aliqua vehemens, gravis, atrox commemorata est, quæ augenda verbis, atque oculis subjicienda videatur. Ita Cic. in Phil. 2. postquam Antonium in Populi R. conspectu vomuisse narravit, rem eam amplificat: *O rem non modo visu fœdam, sed etiam auditu! Si inter cœnam in tuis immanibus illis poculis hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? In cœtu vero Populi R., negotium publicum gerens, Magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens frustis esculentis, vinum redolentibus gremium suum, & totum tribunal implevit.*

## De amplificatione verborum.

EST igitur amplificatio gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum conciliet in dicendo fidem. Ea & verborum genere conficitur, & rerum. Verba ponen-

da sunt, quæ vim habeant illustrandi, nec ab usu sint abhorrentia, gravia, plena, sonantia, juncta, facta, cognominata, non vulgata, superlata, in primisque translata, nec in singulis verbis, sed in continentibus soluta, quæ dicuntur sine conjunctione, ut plura videantur. Augent etiam relata verba, iterata, duplicata, & ea, quæ ascendunt gradatim ab humilioribus verbis ad superiora. Omninoque semper quasi naturalis, & non explanata oratio, sed gravibus referta verbis, ad augendum accommodatior. Hæc igitur in verbis, quibus actio vocis, vultus, & gestus congruens, & apta ad animos promovendos accommodata est. Sed in verbis, & in actione caussa erit tenenda, & pro re agenda. Nam hæc, quia videntur perabsurda, cum graviora sunt, quam caussa, diligenter fere quid quemque deceat, judicandum est.

Amplificatio conficitur cum verbis simplicibus, tum verborum figuris. Verba deligenda sunt, quæ illustrem efficiant orationem, usitata, gravia, plena, sonantia, juncta, facta, cognominata, seu synonyma, non vilia, superlata, seu hyperbolica, & translata, de quibus jam diximus pag. 25. Verborum figuræ ad amplificandum aptiores, sunt disjunctio non tam in singulis verbis, quam in continentibus, seu in incisis, aut membris; adjunctio, repetitio, conduplicatio, gradatio; tandem oratio quasi naturalis, seu veluti sponte fusa, non explanata, sed quodammodo intercisa, & præ dolo-

dolore interrupta: ut pro C. Plancio: *O acerbam mihi, judices, memoriam temporis illius, & loci, cum hic in me incidit, complexus est, conspersitque lacrymis; nec loqui præ mœrore potuit!* Quæ tamen omnia nihil proderunt, nisi ad ea vox, vultus, gestus accommodetur.

## *De amplificatione rerum.*

Rerum amplificatio sumitur eisdem locis omnibus, quibus illa, quæ dicta sunt ad fidem: maximeque definitiones valent conglobatæ, & consequentium frequentatio, & contrariarum, & dissimilium, & inter se pugnantium rerum conflictio, & caussæ, & ea, quæ sunt de caussis orta; maximeque similitudines, & exempla; fictæ etiam personæ, muta denique loquantur. Omninoque ea sunt adhibenda, si caussa patitur, quæ magna habentur: quorum est duplex genus. Alia enim magna natura videntur, alia usu. Natura, ut cœlestia, ut divina, ut ea, quorum obscuræ caussæ, ut in terris, mundoque admirabilia quæ sunt: ex quibus, similibusque, si attendas, ad augendum permulta suppetunt. Usu, quæ videntur hominibus aut prodesse, aut obesse vehementius: quorum sunt genera ad amplificandum tria. Nam aut caritate moventur homines, ut Deorum,

rum, ut patriæ, ut parentum: aut amore, ut fratrum, ut conjugum, ut liberorum, ut familiarium: aut honestate, ut virtutum, maximeque earum, quæ ad communionem hominum, & liberalitatem valent. Ex iis & cohortationes sumuntur ad ea retinenda, & in eos, a quibus ea violata sunt, odia incitantur, & miseratio nascitur. Proprius locus augendi in iis rebus, aut amissis, aut amittendi periculo. Nihil est enim tam miserabile, quam ex beato miser. Et hoc totum quidem moveat, si bona ex fortuna quis cadat: & a quorum caritate divellatur, quæ amittat, aut amiserit, in quibus malis sit, futurusve sit, exprimatur breviter. Cito enim arescunt lacrymæ, præsertim in alienis malis. Nec quicquam in amplificatione nimis enucleandum est. Minuta est enim omnis diligentia: hic autem locus gravia requirit.

Amplificatio rerum sumitur 1. Locis insitis, & præsertim definitionibus conglobatis, consequentibus, contrariis, dissimilitudine, repugnantibus, caussis, effectis, similitudine, & exemplo, de quibus jam verba fecimus.

2. Figuris vehementioribus sententiarum, maximeque prosopopœja. Ita Cicero Roscium Amer. ita loquentem inducit: *Prædia mea tu possides* (Chrysogone); *ego aliena misericordia vivo &c.* Similiter etiam Milonem: *Valeant*, inquit, *valeant cives mei: sint incolumes, sint florentes, sint beati &c.* 3.

3. Rebus magnis vel natura, vel usu. Natura magna sunt 1. Cœlestia, ut cometæ, tonitrua, tempestates, & alia hujusmodi. 2. Divina, qualia sunt Oracula, vaticinationes, responsa aruspicum. 3. Obscura, quorum scilicet ab hominibus ignorantur caussæ, ut terræmotus, monstra, prodigia.

His usus est Cicero in perorat. de responsis Arusp.: *Etenim*, inquit, *hæc Deorum immortalium vox est, hæc pene oratio judicanda est, cum ipse mundus, cum agri terræmotu quodam novo contremiscunt, & inusitato aliquid sono, incredibilique prædicunt*. Et in perorat. Catil. 2.: *Quæ quidem ego neque mea prudentia, neque humanis consiliis fretus polliceor vobis, Quirites, sed multis, & non dubiis Deorum immortalium significationibus, quibus ego ducibus in hanc spem, sententiamque sum ingressus*.

Usu magna sunt hæc tria, caritas, amor, & honestas. Hinc inflammantur animi ad ea retinenda, ut Cicero pro Sextio: *Hæc imitamini per Deos immortales, qui dignitatem, qui laudem, qui gloriam quæritis; hæc ampla sunt, hæc divina, hæc immortalia, hæc fama celebrantur, monumentis annalium mandantur, posteritati propagantur*. Hinc etiam odium in illos, a quibus ea violata sunt, incitatur: ut pro Milone in Clodium: *Polluerat stupro sanctissimas religiones, Senatus gravissima decreta perfregerat, pecunia se palam a judicibus redemerat, vexarat in Tribunatu Senatum &c.*

4. Fortunæ vicissitudine, cum aliquem ostendit orator, aut eas res, quæ magnæ existimantur, jam amisisse, aut esse in amittendi periculo. De rebus amissis exemplum habes pro P. Sylla: *Cum huic omnia cum honore detracta sint, cum in hac fortuna misera, atque luctuosissima, destitutus sit; quid est, quod expetas amplius? Lucis ne hanc usuram eripere vis plenam lacrymarum, atque mœroris, in qua cum maximo cruciatu, atque dolore retinetur?* De amittendi periculo pro L. Flacco: *Miseremini familiæ,*

*judices, miseremini patris, miseremini filii; nomen clarissimum, & fortissimum vel generis, vel vetustatis, vel hominis caussa Reipubl reservate.* Brevis tamen commiseratio esse debet, ut magis animos feriat, & ne auditor ab eo, quem ceperat, impetu (ut ait Fabius) ad rationem redeat.

## *De judicio in ciendis affectibus adhibendo.*

ILlud jam est judicii, quo quaque in caussa genere utamur augendi. In illis enim caussis, quæ ad delectationem exornantur, ii loci tractandi sunt, qui movere possunt expectationem, admirationem, voluptatem. In cohortationibus autem, bonorum, ac malorum enumerationes, & exempla valent plurimum. In judiciis, accusatori fere quæ ad iracundiam; reo plerumque quæ ad misericordiam pertinent. Nonnunquam tamen accusator misericordiam movere debet, & defensor iracundiam.

Aliud amplificandi genus exornatio requirit, aliud cohortatio, aliud judicium. Quare prudentis oratoris est affectus ciere, quos caussa postulet. Ita in exornationibus movenda expectatio, admiratio, voluptas. Expectatio excitatur, cum suspensus detinetur auditoris animus: admiratio ex magnis præclare gestis rebus; voluptas vero ex summarum virtutum commemoratione, lætoque honestarum, utiliumve rerum exitu nascitur. In cohortationibus, & bona, quæ acquiri possunt, & mala, quæ imminent, enumeranda sunt; ut illa spem, & fiduciam afferant; hæc metum incutiant.

Plurimum etiam valent exempla, quibus æmulatio excitetur. Ita Cic. pro P. Sextio: *Imitemur nostros Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Scipiones, Lentulos, Æmilios, innumerabiles alios, qui hanc Rempubl. stabiliverunt; quos equidem in Deorum immortalium cœtu, ac numero repono; amemus patriam, pareamus Senatui, consulamus bonis.*

In Judiciis accusator judices ad iracundiam concitare debet; defensor autem ad misericordiam revocare. Sed interdum tota oratio commutatur, ut misericordiam accusator excitet, iracundiam defensor. Ita Cic. Verrem accusans sæpe misericordiam movet in eos, qui a Verre crudeliter necati sunt, ut inde magis in Verrem judicum odium exardeat. Contra, Roscium defendens excitat iracundiam in accusatores. *Per Deos immortales, quæ ista tanta crudelitas est! Quæ tam fera, immanisque natura! Quis unquam prædo fuit tam nefarius! Quis pirata tam barbarus, ut cum integram prædam sine sanguine habere posset, cruenta spolia detrahere mallet!*

## *De enumeratione, altera amplificationis parte.*

ENumeratio reliqua est, nonnunquam laudatori; suasori non sæpe; accusatori sæpius, quam reo necessaria. Hujus ipsa tempora duo sunt: si aut memoriæ diffidas eorum, apud quos agas, vel intervallo temporis, vel longitudine orationis: aut frequentatis firmamentis orationis, & breviter expositis, vim est habitura caussa majorem. Et reo rarius utendum est, quod ponen-

ponenda sunt contraria, quorum dissolutio in brevitate latebit, aculei pungent. Sed erit in enumeratione vitandum, ne ostentatio memoriæ suscepta, videatur esse puerilis. Id effugiet, qui non omnia minima repetet, sed brevia singula attingens, pondera rerum ipsa comprehendet.

Enumeratio, per quam res disperse, & diffuse dictæ unum in locum coguntur, fieri debet, aut ut memoria reficiatur, si oratio longior fuerit; aut ut major orationi vis afferatur. Ita Cicero pro lege Manilia, tria, quæ proposuerat, breviter, & perspicue, adhibita etiam cohortatione, numerat: *Quare quum bellum ita necessarium sit, ut negligi non possit; ita magnum, ut accuratissime sit administrandum; & quum ei Imperatorem præficere possitis, in quo sit eximia belli scientia, singularis virtus, clarissima auctoritas, egregia fortuna; dubitabitis, Quirites, quin hoc tantum boni, quod a Diis immortalibus oblatum, ac datum est, in Rempublicam conservandam, atque amplificandam conferatis?*

Itaque omitti debet, cum aut brevis est oratio; aut caussæ obesse potest, veluti in defensionibus, ubi cum ab oratore etiam adversarii firmamenta ponenda sint, nec propter brevitatem dilui possint, tanquam aculei pungunt judicum animos. Animadvertendum quoque est summa rerum capita, non singula argumenta repeti oportere, ne orator memoriam ostentet, nimiamque præseferat diligentiam, qua nihil odiosius. Præterea si diu morabitur, jam non enumeratio, sed altera quasi fiet oratio.

*De quæstione, ejusque generibus.*

F. QUoniam & de ipso Oratore, & de oratione dixisti; expone eum mihi nunc, quem ex tribus extremum propofuisti quæstionis locum.

P. Duo sunt, ut initio dixi, quæstionum genera: quorum alterum finitum temporibus, & personis, Controversiam, Caussam appello: alterum infinitum, nullis neque personis, neque temporibus notatum; Propositum voco. Sed est Consultatio quasi pars Caussæ quædam, & Controversiæ. Inest enim infinitum in definito, & ad illud tamen referuntur omnia.

*De proposito, seu quæstione infinita, ejusque generibus.*

QUamobrem prius de proposito dicamus, cujus genera sunt duo: cognitionis alterum: ejus scientia est finis, ut *veri ne sint sensus*? alterum actionis, quod refertur ad efficiendum quid: ut si quæratur, *quibus officiis amicitia colenda sit.*

Rursus superioris genera sunt tria: sit, nec ne, quid sit, quale sit. Sit nec ne, ut *jus*

*in*

*in natura sit, an in more?* Quid autem sit, *sit ne jus id, quod majori parti sit utile?* Quale autem sit, *juste vivere sit, nec ne utile?*

Actionis autem duo sunt genera. Unum ad persequendum aliquid, aut declinandum: ut: *quibus rebus adipisci gloriam possis*, aut, *quo modo invidia vitetur?* alterum, quod ad aliquod commodum, usumque refertur: ut: *quemadmodum sit respublica administranda*: aut, *quemadmodum in paupertate vivendum*.

Rursus autem ex cognitionis consultatione, ubi, sit, nec ne, aut fuerit, futurumve sit, quæritur; unum genus est quæstionis, possitne aliquid effici; ut cum quæritur; *ecquisnam perfecte sapiens esse possit?* alterum, quemadmodum quidque fiat: ut *quonam pacto virtus pariatur; natura ne, an ratione, an usu?* cujus generis sunt omnes, in quibus, ut in obscuris, naturalibusque quæstionibus, caussæ, rationesque rerum explicantur.

Illius autem generis, in quo, quid sit id, de quo agitur, quæritur, duo sunt genera: quorum in altero disputandum est; aliud, an idem sit, ut *pertinacia, & perseverantia?* in altero autem descriptio generis alicujus, & quasi imago exprimenda est, ut *qualis sit avarus*, aut *quid sit superbia*.

Tertio autem in genere, in quo quale ſit, quæritur, aut de honeſtate, aut de utilitate, aut de æquitate dicendum eſt. De honeſtate ſic: ut *honeſtum ne ſit pro amico periculum, aut invidiam ſubire*? De utilitate autem ſic: ut, *ſit ne utile in republ. administranda verſari*? De æquitate vero ſic: ut, *ſit ne æquum amicos cognatis anteferre*? Atque in hoc eodem genere, in quo, quale ſit, quæritur, exoritur aliud quoddam diſputandi genus. Non enim ſimpliciter ſolum quæritur quid honeſtum ſit, quid utile, quid æquum; ſed etiam ex comparatione quid honeſtius, quid utilius, quid æquius, atque etiam quid honeſtiſſimum, quid utiliſſimum, quid æquiſſimum: cujus generis illa ſunt, *quæ præſtantiſſima ſit dignitas vitæ*? Atque ea quidem, quæ dixi, cognitionis ſunt omnia.

Reſtant actionis, cujus alterum eſt præcipiendi genus, quod ad rationem officii pertinet, ut, *quemadmodum colendi ſint parentes*. Alterum autem ad ſedandos animos, & oratione ſanandos, ut in conſolandis mœroribus, ut in iracundia comprimenda, aut in timore tollendo, aut in cupiditate minuenda. Cui quidem generi contrarium eſt diſputandi genus ad eoſdem illos animi motus, quod in amplificanda oratione ſæpe faciendum

dum est, vel gignendos, vel concitandos. Atque fere hæc est partitio consultationum.

*F.* Cognovi: sed, quæ ratio est in his inveniendi, & disponendi, requiro.

*P.* Quid? tu aliam ne censes, & non eandem esse, quæ est exposita, ut ex iisdem locis ad fidem, & ad inveniendum ducuntur omnia? Collocandi autem, quæ est exposita in aliis ratio, eadem huc transfertur.

## *De caussa, seu quæstione finita, ejusque generibus.*

COgnita igitur omni distributione propositarum consultationum, caussarum genera restant omnino. Et earum quidem forma duplex est: quarum altera delectationem sectatur aurium: alterius, ut obtineat, probet, & efficiat, quod agit, omnis est suscepta contentio. Itaque illud superius exornatio dicitur; quod cum latum genus esse potest, saneque varium, unum ex eo delegimus, quod ad laudandos claros viros suscepimus, & improbos vituperandos. Genus enim nullum est orationis, quod aut uberius ad dicendum, aut utilius civitatibus esse possit, aut in quo magis orator in cognitione virtutum, vitiorum-

que verſetur. Reliquum autem genus cauſſarum, aut in proviſione poſteri temporis, aut in præteriti diſceptatione verſatur: quorum alterum deliberationis eſt; alterum judicii. Ex qua partitione tria genera cauſſarum extiterunt; unum, quod a meliori parte laudationis eſt appellatum; deliberationis alterum; tertium judiciorum. Quamobrem de primo primum, ſi placet, diſputemus.

*F.* Mihi vero placet.

## *De genere demonſtrativo, ejuſque materia, fine, & tractatione.*

*P.* AC laudandi, vituperandique rationes, quæ non ad bene dicendum ſolum, ſed etiam ad honeſte vivendum valent, exponam breviter, atque a principiis exordiar & laudandi, & vituperandi. Omnia enim ſunt profecto laudanda, quæ conjuncta cum virtute ſunt: & quæ cum vitiis, vituperanda. Quamobrem finis alterius eſt honeſtas; alterius turpitudo. Conficitur autem genus hoc dictionis narrandis, exponendiſq; factis, ſine ullis argumentationibus, ad animi motus leniter tractandos magis, quam ad fidem faciendam, aut confirmandam, accommodatæ. Non enim dubia firmantur, ſed ea, quæ certa, aut pro certis poſita ſunt,

augentur. Quamobrem ex iis, quæ ante dicta sunt,& narrandi, & augendi præcepta repetentur.

*De generis demonstrativi elocutione.*

ET quoniam in his caussis omnis ratio fere ad voluptatem auditoris, & ad delectationem refertur, utendum erit iis in oratione singulorum verborum insignibus, quæ habent plurimum suavitatis: id est, ut factis verbis, aut vetustis, aut translatis frequenter utamur, & in ipsa constructione verborum, ut paria paribus, & similia similibus sæpe referantur, ut contraria, ut geminata, ut circumscripta numerose non ad similitudinem versuum, sed ad explendum aurium sensum, apto quasi quodam verborum modo. Adhibendaque frequentius etiam illa ornamenta rerum sunt, sive quæ admirabilia, nec opinata; sive significata monstris, prodigiis, & oraculis; sive quæ videbuntur ei, de quo agimus, accidisse divina, atque fatalia. Omnis enim expectatio ejus, qui audit, & admiratio, & improvisi exitus habent aliquam in audiendo voluptatem.

Ornamentis verborum, & sententiarum opus est efflorescat demonstrativi generis elocutio. Verborum ornamenta petuntur 1. Ex simplicibus verbis, quæ sint aut facta, aut vetusta, aut translata,

ta, de quibus jam alibi sermo fuit. 2. Ex verborum figuris, inter quas præcipue adhibenda sunt paria paribus relata, sive isocola, ut illa pro lege Manilia: *Labor in negotiis, fortitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo*. *Similia similibus*, seu similiter cadentia, aut desinentia; antitheses, geminata, sive conduplicatio. 3. Ex constructione numerosa, hoc est ex verbis tam apte dispositis, ut ad aures suaviter allabantur. Vide, quam plena, & numerosa sit hæc Tullii periodus pro Marcello: *Soleo sæpe ante oculos ponere, idque libenter crebris usurpare sermonibus, omnes nostrorum Imperatorum, omnes exterarum gentium; potentissimorumque populorum, omnes clarissimorum Regum res gestas cum tuis, nec contentionum magnitudine, nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum posse conferri*.

Sententiarum ornamenta sumuntur, cum ex rebus iis, quæ admirabiles sunt, nec opinatæ. Ita Cicero pro lege Manilia de Pompejo loquens: *Quid tam novum*, inquit, *quam adolescentulum privatum exercitum difficili Reip. tempore conficere? confecit. &c.* tum ex monstris, prodigiis, oraculis, divinis, & fatalibus, seu quæ ex divina voluntate profecta censentur. Quorum exempla in sacris potius literis, quam apud profanos Scriptores invenies.

## *De generis demonstrativi dispositione*.

SED quoniam in tribus generibus bona, malave versantur, externis corporis, & animi: prima sunt externa, quæ ducuntur a genere: quo breviter, modiceque laudato, aut, si erit infame, prætermisso: si humi-

humile, vel præterito, vel ad augendam ejus, quem laudas, gloriam tacto; deinceps, si res patiatur, de fortunis erit, & facultatibus dicendum. Postea de corporis bonis: in quibus quidem, quæ virtutem maxime significat, facillime forma laudatur. Deinde est ad facta veniendum: quorum collocatio triplex est: aut enim temporum servandus est ordo; aut in primis recentissimum quodque dicendum; aut multa, & varia facta, in propria virtutum genera sunt dirigenda.

Multa sunt fortunæ bona; ut patria, divitiæ, sed præsertim genus, quod vel illustre est, vel infame, vel humile. Illustre laudatur, sed breviter: infame prætermittitur: humile tractari potest ad augendam ejus, quem laudas, gloriam. Ita Cicero in Rullum de genere suo ait: *Mihi quidem apud vos de meis majoribus dicendi facultas non datur: non quin tales fuerint, quales nos illorum sanguine creatos, disciplinisque institutos videtis; sed quod laude populari, atque honoris vestri luce caruerunt.* Ex his efficit Consulatum suum paullo celebriorem.

Inter corporis bona eminet forma, seu pulchritudo, quia virtutem quodammodo significat: est enim vultus mentis index. Ita Isocrates in Evagora primo loco pulchritudinem ejus laudat, & in Helenæ encomio pulchritudinem rerum omnium præstantissimam pluribus verbis ostendit.

Sed facta maxime laudari debent: quorum enumerandorum triplex ratio est; aut enim temporum servandus est ordo, quo usus est Cicero in Philip. 2. Aut e contrario a novissimis ad primam venien-

niendum, ſicuti Plinius in Panegyrico ſtatim incipit a Trajani creatione, quæ recentiſſima fuerat: Aut ad certa virtutum capita referuntur, ut ad prudentiam facta prudenter; ad fortitudinem geſta fortiter. Ita Cic. Pompeii laudes ad ſcientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem revocavit. Vide, quæ dicta ſunt pag. 9.

## *De virtutibus, & vitiis præcipua generis demonſtrativi materia; ac primo de prudentia.*

SED hic locus virtutum, atque vitiorum latiſſime patens, ex multis, & variis diſputationibus nunc in quandam anguſtam, & brevem concludetur. Eſt igitur vis virtutis duplex. Aut enim ſcientia cernitur virtus, aut actione. Nam, quæ prudentia, quæ calliditas, quæve graviſſimo nomine ſapientia appellatur, hæc ſcientia pollet una. Quæ vero moderandis cupiditatibus, regendiſque animi motibus laudatur, ejus eſt munus in agendo, cui temperantiæ nomen eſt. Atque illa prudentia in ſuis rebus domeſtica; in publicis civilis appellari ſolet.

Virtus eſt animi habitus naturæ, modo, rationi conſentaneus; ſive animi affectio conſtans, conveniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus eſt. Hæc aut in ſcientia, aut in actione verſatur. Primi generis eſt prudentia, quæ definitur rerum expe-

expetendarum, fugiendarumque ſcientia. Vocatur etiam ſapientia, & calliditas: quamvis ſapientia latius pateat, cum ſit rerum divinarum, humanarum, cauſlarumque, quibus hæ res continentur, ſcientia: calliditas vero, qua, tanquam manus opere, ſic animus uſu concalluit. Prudentia, quæ ad res privatas pertinet, domeſtica, ſive œconomica dicitur; quæ ad res publicas, civilis, ſive politica. Hinc laudandi ſunt, qui Rempublicam ſapienter geſſerunt, ut apud Græcos Solon, Ariſtides: apud Romanos Cato, Fabius, Cicero.

## *De temperantia.*

Temperantia autem in ſuas itidem res, & in communes diſtributa eſt, duobuſque modis in rebus commodis diſcernitur; & ea, quæ abſunt, non expetendo; & ab iis, quæ in poteſtate ſunt, abſtinendo. In rebus autem incommodis eſt itidem duplex. Nam quæ venientibus malis obſtat, fortitudo: quæ, quod jam adeſt, tolerat, & perfert, patientia nominatur. Quæ autem hæc uno genere complectitur, magnitudo animi dicitur: cujus eſt liberalitas in uſu pecuniæ, ſimulque altitudo animi in capiendis incommodis, & maxime injuriis, & omne, quod eſt ejus generis, grave, inſedatum, & turbulentum.

Tem-

Temperantiæ nomine omnes virtutes morales, quæ in actione consistunt, complectitur Cicero. Est enim temperantia rationis in libidinem, & in alios non rectos impetus animi firma, & moderata dominatio. Hæc æque, ac prudentia, & in publicis rebus cernitur, & in privatis. Cum versatur in publicis, justitia dicitur; at in privatis, vel abstinentia, qua alienas res non appetimus: vel continentia, qua propriis commodis non abutimur. Hinc vehementer Cicero Pompejum laudat, cum ait: *Hic miramur hunc hominem tantum excellere ceteris, cujus legiones sic in Asiam pervenerunt, ut non modo manus tanti exercitus, sed ne vestigium quidem cuiquam pacato nocuisse dicatur?* Vel fortitudo, sive considerata periculorum susceptio. Vel patientia, quæ est honestatis, vel utilitatis caussa rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, & diuturna perpessio. Vel magnanimitas, quæ fortitudinem, ac patientiam complectitur. Vel liberalitas, quæ in recto pecuniæ usu versatur.

## *De justitia.*

IN communione autem, quæ posita pars est, justitia dicitur, eaque ergo Deos religio, erga parentes pietas, vulgo autem bonitas, creditis in rebus fides, in moderatione animadvertendi lenitas, amicitia in benevolentia nominatur. Atque hæ quidem virtutes cernuntur in agendo.

Justitia est habitus animi, communi utilitate servata, suam cuique tribuens dignitatem. Huic subjicit hoc loco Tullius religionem, pietatem, fidem, lenitatem, amicitiam; & alibi gratiam, observantiam, veritatem.

Reli-

Religio eſt, quæ ſuperioris cujuſdam naturæ, quam divinam vocant, curam, ceremoniamque affert. Pietas, per quam ſanguine conjunctis, patriæque benevolis officium, & diligens tribuitur cultus. Fides, per quam creditas nobis res æque, ac noſtras diligenter tuemur. Lenitas, ſive clementia eſt, per quam animi temere in odium alicujus concitati comitate retinentur. Amicitia eſt voluntas erga aliquem rerum bonarum illius ipſius cauſſa, quem diligit, cum pari voluntate. Gratia, in qua amicitiarum, & officiorum alterius memoria, & alterius remunerandi voluntas continetur. Obſervantia, per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam, & honore dignamur. Veritas eſt, per quam immutata ea, quæ ſunt, aut ante fuerunt, aut futura ſunt, dicuntur.

## *De ſapientiæ ſociis, dialectica, & eloquentia.*

SUnt autem aliæ quaſi miniſtræ, comiteſque ſapientiæ: quarum altera, quæ ſint in diſputando vera, atque falſa, quibuſque poſitis quid ſequatur, diſtinguit, & judicat, quæ virtus omnis in ratione, ſcientiæque diſputandi ſita eſt: altera autem oratoria. Nihil enim eſt aliud eloquentia, niſi copioſe loquens ſapientia: quæ ex eodem hauſta genere, quo illa, quæ in diſputando; uberior eſt, atque latior, & ad motus animorum, vulgique ſenſus accommodatior. Cuſtos vero virtutum omnium, dedecus fugiens, laudemque maxime conſequens verecundia eſt. Atque hi ſunt quidem

dem fere quasi quidam habitus animi, sic affecti, & constituti, ut sint singuli inter se proprio virtutis genere distincti: a quibus, ut quæque res gesta est, ita sit honesta necesse est, summeque laudabilis.

Verecundiam vocat omnium virtutum custodem; hæc enim patet latissime; quippe quæ ut dedecus fugiat, certo ordine, ac modo decorum in omnibus dictis, ac factis servat.

### *De liberalibus studiis, & artibus, quæ viam ad virtutem sternunt.*

SUnt autem alii quidam perfecti animi habitus ad virtutem, quasi præculti, & præparati rectis studiis, & artibus, ut in suis rebus, studia literarum, ut numerorum, ac sonorum, ut mensuræ, ut syderum, ut equorum, ut venandi, ut armorum; in communibus, propensiora studia in aliquo genere virtutis colendo, aut divinis rebus deserviendo, aut parentibus, amicis, hospitibus præcipue, atque insigniter diligendis. Atque hæc quidem virtutum: vitiorum autem sunt genera contraria.

### *De vitiis, quæ virtutibus finitima sunt.*

CErnenda autem sunt diligenter, ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem videntur

tur imitari. Nam & prudentiam malitia, & temperantiam immanitas in voluptatibus aspernandis, & magnitudinem animi superbia in animis extollendis, & despicientia in contemnendis honoribus, & liberalitatem effusio, & fortitudinem audacia imitatur, & patientiam duritia immanis, & justitiam acerbitas, & religionem superstitio, & lenitatem mollitia animi, & verecundiam timiditas, & illam disputandi prudentiam concertatio, captatioque verborum, & hanc oratoriam vim inanis quædam profluentia loquendi. Studiis autem bonis similia videntur ea, quæ sunt in eodem genere nimia.

### *De materia generis demonstrativi ex peculiaribus virtutibus, vitiisque sumenda.*

QUamobrem omnis vis laudandi, vituperandique ex his sumetur virtutum, vitiorumque partibus: sed in toto quasi contextu orationis hæc erunt illustranda maxime, quemadmodum institutus, moratusque fuerit: & si quid cui magnum, aut incredibile acciderit, maximeque si id divinitus accidisse potuerit videri: tum quod quisque senserit, dixerit, gesserit, ad ea, quæ proposita sunt, virtutum genera accommoda-

modabitur, ex illisque iisdem inveniendi locis caussæ rerum, & eventus, & consequentia requirentur. Neque vero mors eorum, quorum vita laudabitur, silentio præteriri debebit, si modo quid erit animadvertendum aut in ipso genere mortis, aut in iis rebus, quæ post mortem erunt consecutæ.

Ex virtutibus omnis ducitur laus; sed multo splendidior existet, si sumatur ex iis, quæ non ad propriam, sed ad aliorum utilitatem referuntur, quales sunt justitia, liberalitas, clementia, fortitudo in adeundis pro patriæ, reique publicæ incolumitate periculis.

In hoc autem genus præsertim, ut ait Aristoteles Reth. lib. 2. c. 9., cadit amplificatio, si nempe quis dicatur aliquid dignum laude gessisse vel *primus*, ut Junius Brutus, qui primus, expulso Tarquinio, patriam in libertatem asseruit; vel *solus*, uti Horatius Cocles, qui solus in ponte Sublicio totius Etruscorum exercitus repressit impetum. Ita Cicero pro Marcello Cæsarem laudans: *Unus igitur*, inquit, *inventus es, a quo ipsius victoriæ conditio, visque devicta est*. Vel *cum paucis sociis*, uti Leonidas Spartanus, qui cum trecentis militibus innumeras Persarum copias ad Thermopylas confecit: vel *cujus præcipue virtus enituit*, uti Pompeii in bello piratico, & Mithridatico: vel *si sæpius idem recte administravit*, uti idem Pompejus, qui omnia bella sapienter, ac summa cum laude gessit. Si nihil horum suppetat, comparandus est, qui laudatur, cum aliis illustribus viris: modo in hac comparatione ceteri non deprimantur. Ita Ovidius lib. 2. Fastor. Augustum Cæsarem cum Romulo urbis parente comparat.

Non

Non solum autem facta ad laudem traducenda sunt, sed etiam dicta; sunt enim non dubia animi signa. Ita e. g. Cic. lib. 3. de offic. Scipionem, dicere solitum narrat *nunquam se minus ociosum esse, quam cum ociosus; nec minus solum, quam cum solus esset*. Ex hoc dicto eum laudat. *Magnifica vero vox, & magno viro, ac sapiente digna, quæ declarat illum & in solitudine secum loqui solitum: ut neque cessaret unquam, & interdum colloquio alterius non egeret. Ita duæ res, quæ languorem afferunt ceteris, illum acuebat, ocium, & solitudo*.

Tandem & ab ipso genere mortis laus sumitur, si quis pro patria mortuus fuerit, si morbi, dolorumque vim constanter tulerit. Ita Cic. mortem Ser. Sulpicii multum commendat quam in legatione ad M. Antonium obierat; similiter etiam Phil 14. eos, qui in Mutinensi prælio occuberant: & ab iis rebus, quæ mortem consecutæ sunt. Ita Virgil. georg. 4. magnifice I. Cæsarem laudat a cometa, ceterisque prodigiis, quæ post ejus cædem visa sunt.

## *De genere deliberativo.*

*F.* ACcepi ista, didicique breviter, non solum quemadmodum laudarem alterum, sed etiam quemadmodum eniterer, ut possem ipse jure laudari. Videamus igitur deinceps, in sententia dicenda quam viam, & quæ præcepta teneamus.

*P.* Est igitur in deliberando finis utilitas, ad quam omnia ita referuntur, in consilio dando, sententiaque dicenda, ut illa prima

sint suasori, aut dissuasori videnda, quid aut possit fieri, aut non possit; & quid aut necesse sit, aut non necesse. Nam & si quid effici non potest, deliberatio tollitur, quamvis utile sit; & si quid necesse est (necesse autem id est, sine quo salvi, liberive esse non possumus) id est reliquis, & honestatibus in civili ratione, & commodis anteponendum.

Cum autem quæritur, quid fieri possit, videndum etiam est, quam facile possit. Nam quæ perdifficilia sunt, perinde habenda semper sunt, ac si effici non possint. Et cum de necessitate attendamus, etsi aliquid non necessarium videbitur, videndum tamen erit, quam sit magnum. Quod enim permagni interest, pro necessario sæpe habetur.

Itaque cum constet hoc genus caussarum suasione, & dissuasione, suasori proponitur simplex ratio: si & utile est, & fieri possit, fiat. Dissuasori duplex: una si non utile est, non fiat: altera, si fieri non potest, nec suscipiatur. Sic suasori utrumque docendum est; dissuasori alterum infirmare sat est.

Duo sunt generis deliberativi loci, 1. si effici potest; 2. si utilis est res, quæ in deliberationem venit. sed Cicero posuit necessarium, tanquam præcipuam utilitatis partem.

De

## *De rebus utilibus, præcipua generis deliberativi materia.*

QUare quoniam in his versatur omne consilium duobus, de utilitate ante dicamus, quæ in discernendis bonis, malisque versatur. Bonorum autem partim non necessaria, quorum alia sunt per se expetenda, ut ea, quæ sita sunt in officiis, atque virtutibus; alia, quod aliquid commodi efficiunt, ut opes, & copiæ. Eorum igitur, quæ propter se expetuntur, partim honestate ipsa, partim commoditate aliqua expetuntur.

Honestate, ea, quæ proficiscuntur ab iis virtutibus, de quibus paullo ante est dictum: quæ sunt laudabilia ipsa per se. Commoditate autem aliqua, quæ sunt in corporis, aut fortunæ bonis expetenda. Quorum alia sunt quasi quodam modo cum honestate conjuncta, ut honos, ut gloria: alia diversa, ut vires, forma, valetudo, nobilitas, divitiæ, clientelæ.

Utilitas complectitur 1. bona necessaria, ut vita, pudicitia &c. Ita Annibal apud Livium lib. 21. a necessario milites suos ad acriter pugnandum excitat, quod nulla ipsis vitæ, liberatisque spes, nisi in victoria, restaret; cum undequaque clauderentur.

2. Non necessaria: atque hæc vel honesta sunt, ut officium, virtus. Hinc Cicero Phil. 9. statua contendit

ornandum esse Ser. Sulpicium, quippe qui in legatione mortuus fuerat. *Reddite igitur, Patres conscripti, ei vitam, cui ademistis: vita enim mortuorum in memoria est posita vivorum. Perficite, ut is, quem vos inscii ad mortem misistis, immortalitatem habeat a vobis. Cui si statuam in rostris decreto vestro statueritis, nulla ejus legationem posteritatis obscurabit oblivio.*

Vel duntaxat utilia sunt, seu quæ propter fructum, & commodum expetuntur, uti bona corporis, & fortunæ. Hinc Annibal loc. laud. milites ad pugnam inflammat, amplissimum ipsis victoriæ præmium ostendens. *Si Siciliam tantum, ac Sardiniam parentibus nostris ereptas nostra virtute recuperaturi essemus; satis tamen ampla pretia essent. Quicquid Romani tot triumphis partum, congestumque possident; id omne vestrum cum ipsis dominis futurum est. In hanc tam opimam mercedem agite cum Diis bene juvantibus, arma capite.*

Vel honesta simul, & utilia sunt, uti honos, & gloria. Hinc Cic. pro leg. Man. Populum Romanum ad bellum Mithridaticum cohortatur. *Genus est enim ejusmodi, quod maxime vestros animos excitare, atque inflammare debet, in quo agitur Populi Rom. gloria, quæ vobis a majoribus cum magna in rebus omnibus, tum summa in re militari tradita est.*

Omnia autem complexus est Catilina apud Sallustium milites suos adhortans. *Quapropter vos moneo, uti forti, atque parato animo sitis, & cum prælium inibitis, memineritis vos divitias, decus, gloriam, præterea libertatem, atque patriam in dextris vestris portare. Si vincimus, omnia tuta erunt, commeatus abunde, municipia, atque coloniæ patebunt.*

Est etiam quasi quædam materies subjecta honestati, quæ maxime spectatur in amicitiis:

citiis : amicitiæ autem caritate, & amore cernuntur. Nam cum Deorum, tum parentum, patriæque cultus, eorumque hominum, qui aut ſapientia, aut opibus excellunt, ad caritatem referri ſolet. Conjuges autem, & liberi, & fratres, & alii, quos uſus, familiaritaſque conjunxit, quamquam etiam caritate ipſa, tamen amore maxime continentur. In his igitur rebus cum bona ſint, facile eſt intellectu, quæ ſint contraria.

Bonis, quæ honeſta ſimul, & utilia ſunt, adnumerat Cicero amicitias, quæ caritatem in Deum, in parentes, in patriam, in ſapientes; & amorem in conjugem, in liberos, in fratres, in amicos complectuntur. Hinc Coriolanum Veturia mater apud Livium lib. 2. ab oppugnatione patriæ dehortatur. *Potuiſti populari hanc terram, quæ te genuit, atque aluit? . . .. Non cum in conſpectu Roma fuit, ſuccurrit: intra illa mœnia domus, ac penates mei ſunt, mater, conjux, liberique? &c.*

## *De deliberationibus, in quibus utilitas cum honeſtate certat.*

QUod ſi ſemper optima tenere poſſemus, haud ſane, quoniam quidem ea perſpicua ſunt, conſilio multum egeremus. Sed quia temporibus, quæ vim habent maximam, perſæpe evenit, ut utilitas cum honeſtate certet, earumque rerum conten-

tio plerumque deliberationes efficit, ne aut opportuna propter dignitatem, aut honesta propter utilitatem relinquantur; ad hanc difficultatem explicandam præcepta referamus.

Et quoniam non ad veritatem solum, sed etiam ad opiniones eorum, qui audiunt, accommodanda est oratio: hoc primum intelligamus, hominum duo esse genera; alterum indoctum, & agreste, quod anteferat semper utilitatem honestati; alterum humanum, atque expolitum, quod rebus omnibus dignitatem anteponat. Itaque huic generi laus, honor, gloria, fides, justitia, omnisque virtus: illi autem alteri quæstus, emolumentum, fructusque proponitur, atque etiam voluptas; quæ maxime est inimica virtuti, bonique naturam fallaciter imitando adulterat: quam immanissimus quisque acerrime sequitur, neque solum honestis rebus, sed etiam necessariis anteponit. In suadendo, cum ei generi hominum consilium des, sæpe sane laudanda est.

Et illud videndum, quanto magis homines mala fugiant, quam sequantur bona. Nam neque honesta tam expetunt, quam devitant turpia. Quis enim honorem, quis gloriam, quis laudem, quis ullum decus

tam

tam unquam expetat, quam ut ignominiam, infamiam, contumeliam, dedecus fugiat? quarum rerum dolor gravis est. Est genus hominum ad honestatem natum, malo cultu, pravisque opinionibus omne corruptum.

Quare in cohortando, atque suadendo, propositum nobis quidem erit illud, ut doceamus qua vi bona consequi, malaque vitare possimus: sed apud homines bene institutos plurimum de laude, & de honestate dicemus: maximeque ea virtutum genera tractabimus, quæ in communi hominum utilitate tuenda, augendaque versantur. Sin apud indoctos, imperitosque dicemus, fructus, emolumenta, voluptates, vitationesque dolorum proferantur; addantur etiam contumeliæ, atque ignominiæ. Nemo enim est tam agrestis, quam non, si ipsa minus honestas, contumelia tamen, & dedecus magnopere moveat. Quare quod ad utilitatem spectat, ex iis, quæ dicta sunt, reperietur.

Si quando honesta cum utilibus certare videantur, ad eorum, qui audiunt, mores, opinionesque accommodari debet oratio. Quare imperitæ multitudini utilia, & jucunda proponenda sunt; hominibus nobili loco natis, & liberaliter institutis honesta, & laudabilia. Ita Cicer. de lege Agrar. statim plebi proponit pacem, libertatem, ocium, quibus maxime commoventur popularium animi.

animi. *Quid enim est tam populare, quam pax? quæ non modo ii, quibus natura sensum dedit, sed etiam tecta, atque agri lætari videntur. Quid tam populare, quam libertas? quam non solum ab hominibus, verum etiam a bestiis expeti, atque omnibus rebus anteponi videtis. Quid tam populare, quam ocium? Quod ita jucundum est, ut & vos, & majores vestri, & fortissimus quisque vir maximos labores suscipiendos putet, ut aliquando in ocio possit esse.*

At pro Lig. Cæsarem, qui M. Marcello jam ignoverat, ad clementiam hortatur, eandem ipsi gloriam proponens. *Noli obsecro dubitare C. Cæsar, similem illi gloriæ laudem quamsæpissime quærere. Nihil est enim tam populare, quam bonitas &c.*

Quoniam vero malis vehementius, quam bonis moventur homines; cum in suadendo, tum in dissuadendo, damnum, dolor, dedecus proponenda sunt; hisce enim rebus gravis metus incutitur, uti contrariis spes excitatur. Hac arte utitur Cicero Phil. 4., ubi ut Romanos acuat in Antonium, inquit: *Non est, non est vobis, Quirites, cum eo hoste certamen, quocum aliqua pacis conditio esse possit: neque enim servitutem vestram, ut antea, sed jam iratus sanguinem concupiscit. Nullus ei ludus videtur esse jucundior, quam cruor, quam cædes, quam ante oculos trucidatio civium.* Et infra. *Agitur enim non qua conditione victuri; sed victuri ne simus, an cum supplicio, ignominiaque perituri.*

## *De rebus, quæ effici, & facile possunt.*

QUid autem possit effici, nec ne (in quo etiam, quam facile possit, quamque expediat, quæri solet) maxime ex caussis iis, quæ quamque rem efficiant, est

est videndum. Caussarum autem genera sunt plura. Nam sunt aliæ, quæ ipsæ conficiunt, aliæ, quæ vim aliquam ad conficiendum afferunt. Itaque illæ superiores conficientes vocentur: hæ reliquæ ponantur in eo genere, ut sine his confici non possit. Conficiens autem caussa, alia absoluta est, & perfecta per se; alia aliquid adjuvans, & efficiendi socia quædam; cujus generis vis varia est, & sæpe aut major, aut minor; ut & illa, quæ maximam vim habet, sola sæpe caussa dicatur. Sunt autem aliæ caussæ, quæ aut propter principium, aut propter exitum conficientes vocantur. Cum autem quæritur, quid sit optimum factu, aut utilitas, aut spes efficiendi ad assentiendum impellit animos. Et quoniam de utilitate jam diximus; de efficiendi ratione dicamus.

Quo toto genere quibuscum, & contra quos, quo tempore, aut quo loco, aut quibus facultatibus armorum, pecuniæ, sociorum, earumve rerum, quæ ad quamque rem efficiendam pertinent, possimus uti, requirendum est. Neque solum ea sunt, quæ nobis suppetunt, sed etiam illa, quæ adversantur, videnda. Et si contentione procliviora erunt nostra, non solum effici posse, quæ suademus, erit persuadendum;

sed

sed curandum etiam, ut illa facilia, proclivia, jucunda videantur. Dissuadentibus autem aut utilitas labefactanda est; aut efficiendi difficultates efferendæ, neque aliis ex præceptis, nisi iisdem ex suasionis locis.

Suasori rem, quam proponit, fieri posse (qui alter est deliberativi generis locus) demonstrandum est.

1. A caussis efficientibus. Ita Cic. ostendit bellum Mithridaticum feliciter confici posse, si ei præficiatur Pompejus, qui jam toties triumpharat. Præcipua enim victoriæ caussa est imperator.

2. Ab adjunctis, seu ab iis caussis, quæ quamquam inertes sunt; tamen sine ipsis res confici nequit, ut locus, tempus, ac cæteræ facultates, quæ adjuvant. Ita a loco Tullius Romanos erecto animo esse jubet Cat. 2., quod Catilinam ex occultis insidiis, seu ex urbe in apertum latrocinium conjecerit. A tempore Maharbal post Cannensem pugnam Annibali minime cessandum ostendit: *Immo ut quid hac pugna sit actum, scias; die quinto*, inquit, *victor in Capitolio epulaberis*.

3. A comparatione earum rerum, quæ nobis suppetunt, cum illis, quæ adversantur. Hac utitur Cicero Cat. 2., ubi inquit. *Sed si omissis his rebus omnibus, quibus nos suppeditamus, eget ille, Senatu, equitibus R., populo, urbe, ærario, vectigalibus, cuncta Italia, provinciis omnibus, exteris nationibus; si, inquam, omissis his rebus ipsas caussas, quæ inter se confligunt, contendere velimus, ex eo ipso, quam valde illi jaceant, intelligere possumus. Ex hac enim parte pudor pugnat, illinc petulantia &c.*

Dissuasori autem in eo contendendum est, ut rem ostendat aut non utilem esse; aut effici nullo modo posse, vel nonnisi difficulter posse. Utrumque complexus est Cicero Phil. 7. ubi proponit pacem cum Antonio nolle, quia turpis est, quia periculosa, quia esse non potest. Uter-

Uterque vero ad augendum habeat exemplorum aut recentium, quo notiora ſint, aut veterum, quo plus auctoritatis habeant, copiam. Maximeque ſit in hoc genere meditatus, ut poſſit vel utilia, ac neceſſaria ſæpe honeſtis, vel hæc illis anteferre.

Uſus exemplorum nulli materiæ magis convenire, quam deliberationibus, merito fere omnes conſentiunt (ait Fabius lib. 3. cap. 10.) cum plerumque videantur futura præteritis, habeaturque experimentum, velut quoddam rationis teſtimonium. Sed ea tam diffuſe narrari non debent, ut ex oratoria in hiſtoricam migret oratio.

## *De perorationibus generis deliberativi.*

AD commovendos autem animos maxime proficient, ſi incitandi erunt, hujuſmodi ſententiæ, quæ ad explendas cupiditates, aut ad odium ſatiandum, aut ad ulciſcendas iniurias pertinebunt. Sin autem reprimendi, de incerto ſtatu fortunæ, dubiiſque eventis rerum futurarum, & retinendis ſuis fortunis, ſi erunt ſecundæ; ſin autem adverſæ, de periculo commonendi. Atque hi quidem ſunt perorationis loci.

De

## *De principiis generis deliberativi.*

PRincipia autem in sententiis dicendis brevia esse debebunt. Non enim supplex, ut ad judicem, venit orator; sed hortator, atque auctor. Quare proponere, qua mente dicat, quid velit, quibus de rebus dicturus sit, debet; hortarique ad se breviter dicentem audiendum. Tota autem oratio simplex, & gravis, & sententiis debet ornatior esse, quam verbis.

Ex Tullii Philippicis (si secundam excipias) facile potes ediscere, quæ hic ipse præcipit de perorationibus, de principiis, de sententiis, ac de stylo generis deliberativi.

Quæ sequuntur de genere judiciali, omitti possunt; tum quia robustioris ætatis sunt; tum etiam quia fere omnia in desuetudinem abierunt.

## *De genere judiciali.*

*F.* COgnovi jam laudationis, & suasionis locos: nunc quæ judiciis accommodata sunt, expecto. Idque nobis genus restare unum puto.

*P.* Recte intelligis. Atque ejus quidem generis finis est æquitas: quæ non simpliciter spectatur, sed ex comparatione nonnunquam: ut cum de verissimo accusatore disputatur; aut cum hæreditatis sine lege,

aut

aut sine testamento petitur possessio: in quibus caussis, quid æquius, æquissimumve sit, quæritur: quas ad caussas facultas petitur argumentationum ex iis, de quibus mox dicetur, æquitatis locis. Atque etiam ante judicium de constituendo ipso judicio solet esse contentio, cum, aut sit ne actio illi, qui agit, aut jamne sit, aut numjam esse desierit, aut illa ne lege, iis ne verbis sit actio, quæritur: quæ etiamsi, antequam res in judicium venit, aut concertata, aut dijudicata, aut confecta non sunt; tamen in ipsis judiciis permagnum sæpe habent pondus, cum ita dicitur. *Plus petisti, sero petisti, non fuit tua petitio, non a me, non hac lege; non his verbis, non hoc judicio.* Quarum caussarum genus est positum in jure civili, quod est in privatarum, ac publicarum rerum lege, aut more positum: cujus scientia neglecta ab oratoribus plerisque, nobis ad dicendum necessaria videtur. Quare de constituendis actionibus, accipiendis, subeundisque judiciis, de excipienda iniquitate actionis, de comparanda æquitate, quod ea fere generis ejus sunt; ut, quamquam in ipsum judicium sæpe dilabantur; tamen ante judicium tractanda videantur; paullulum ea separo a judiciis, tempore magis agendi,

quam

quam dissimilitudine generis. Nam omnia, quæ de jure civili, ac de æquo, & bono disceptantur, cadunt in eam formam, in qua, quale quid sit, ambigitur; de qua dicturi sumus, quæ in æquitate, & jure maxime consistit.

Æquitas, generis judicialis finis, est optima juris ratio, quam nobis ipsa dictat natura, ad quam omne jus, lex omnis, & consuetudo referuntur. Hæc spectatur vel simpliciter, ut cum quæritur, quid æquum, quid bonum sit.

Vel ex comparatione; ut cum quæritur, quis melior sit accusator futurus; quod genus quæstionis divinatio vocatur, quoniam de facultate accusatoris quodammodo divinare opus est: qualis est actio prima in Verrem. Aut cum tres, pluresve eandem hæreditatem petunt sine lege, sine testamento. Ex æquitatis enim ratione tunc dijudicari debet, cui detur hæreditatis actio.

Præterea duobus modis de æquitate quæritur, ante judicium: in judicio.

Ante judicium, de ipso judicio constituendo quæri solet 1. *Sitne actio illi, qui agit*; seu an qui petit, petendi jus habeat? Est enim actio jus petendi in judicio, quod sibi debetur.

2. *Jamne sit actio*; seu an petere possit nunc ante diem dictam in contractu, ante impletam conditionem.

3. *Jamne esse desierit actio*, seu an jam elapsum sit tempus petendi legibus præfinitum, ut in petenda bonorum possessione.

4. An *hac lege sit actio*: ut possitne cum Æbutio Cæcinna ab agro prohibitus agere lege de vi, an potius injuriarum.

5. An *his verbis sit actio*: debet enim qui petit, iis verbis, seu ea formula uti, quam præscripsit Prætor,

In

**In judicio agitur caussa, quæ in statu vel conjecturali, vel definitivo, vel qualitatis versatur.**

*De triplici statu in judiciali genere.*

IN omnibus igitur caussis tres sunt gradus, ex quibus unus aliquis capiendus est, si plures non queas, ad resistendum. Nam aut ita consistendum est, ut, quod objicitur, factum neges: aut illud, quod factum fateare, neges eam vim habere, atque id esse, quod adversarius criminetur: aut si neque de facto, neque de facti appellatione ambigi potest, id, quod arguere, neges tale esse, quale ille dicat, & rectum esse, quod feceris, concedendumve defendas. Ita primus ille status, & quasi conflictio cum adversario, conjectura quadam; secundus autem definitione, aut descriptione, aut informatione verbi; tertius æqui, & veri, & recti, & humani ad ignoscendum disputatione tractandus est.

Et quoniam semper is, qui defendit, non solum resistat, oportet aliquo statu, aut inficiando, aut definiendo, aut æquitate opponendà, sed etiam rationem subjiciat recusationis suæ: primus ille status rationem habet iniqui criminis, ipsam negationem, inficiationemque facti: secundus, quod non sit in re, quod ab adversario

ponitur in verbo : tertius, quod id recte factum esse defendet, quod sine ulla nominis controversia factum fatetur. Deinde unicuique rationi opponendum est ab accusatore id, quod si non esset in accusatione, caussa omnino esse non posset. Itaque ea, quæ sic referuntur, continentia caussarum vocentur.

Quamquam non ea magis, quæ contra rationem defensionis afferuntur, quam ipsæ defensionis rationes continent caussas. Sed distinguendi gratia rationem appellamus eam, quæ affertur a reo ad recusandum depellendi criminis caussa, quæ nisi esset, quod defenderet, non haberet: firmamentum autem, quod contra ad labefactandam rationem refertur, sine quo accusatio stare non potest. Ex rationis autem, & ex firmamenti conflictione, & quasi concursu quæstio exoritur quædam, quam disceptationem voco : in qua quid deveniat in judicium, & de quo disceptetur, quæri solet. Nam prima adversariorum contentio diffusam habet quæstionem, ut in conjectura; *Ceperit ne pecunias Decius*? In definitione; *minuerit ne majestatem Norbanus*? In æquitate; *jure ne occiderit Opimius Gracchum*? Hæc, quæ primam contentionem habent ex arguendo, & resistendo, lata, ut dixi, & fusa sunt. Ratio-

Rationum, & firmamentorum contentio adducit in angustam disceptationem: ea in conjectura nulla est. Nemo enim ejus, quod negat factum, rationem aut potest, aut debet, aut solet reddere. Itaque in his caussis eadem, & prima quæstio, & disceptatio est extrema.

In illis autem, ubi ita dicitur; *non minuit majestatem, quod egit de Cæpione turbulentius. Populi enim R. dolor justus vim tunc illam excitavit, non Tribuni actio. Majestas autem, quoniam est magnitudo quædam Populi R. in ejus potestate, ac jure retinendo, aucta est potius, quam diminuta.* Et ubi ita refertur: *Majestas est in imperii, atque in omni Populi R. dignitate, quam minuit is, qui per vim multitudinis rem ad seditionem vocavit*: existit illa disceptatio; *minuerit ne majestatem, qui voluntate Populi R. rem gratam, & æquam per vim egerit?*

In his autem caussis, ubi aliquid recte factum, aut concedendum esse factum defenditur, cum est facti subjecta ratio, sicut ab Opimio; *jure feci, salutis omnium, & conservandæ Reip. caussa*: relatumque est ab Decio, *ne sceleratissimum quidem civem sine judicio jure ullo necare potuisti*: oritur illa disceptatio: *Potuerit ne recte salutis Reip. caussa civem eversorem civitatis in-*

*demnatum necare*? Ita disceptationes eæ, quæ in his controversiis oriuntur, quæ sunt certis personis, & temporibus notatæ, fiunt rursus infinitæ, detractisque temporibus, & personis rursum ad consultationis formam, rationemque revocantur.

Status, seu prima caussæ congressio oritur ex intentione accusatoris, & depulsione defensoris. E. gr. *fecisti*; intentio est; *non feci*; aut *hoc non feci*; aut *jure feci*; depulsio est. Ita quæstio conjecturalis est; *ceperit ne pecunias Decius*? Qui repetundarum accusatus est, quod pecunias contra leges accepisset. Quæstio definitiva est: *Minueritne majestatem Norbanus*: qui Tribunus plebis seditionem in populo concitavit contra Q. Cæpionem, qui proconsul a Cimbris victus fuerat. Quæstio qualitatis est: *Jurene occiderit Opimius Gracchum*? Hic enim Tribunus plebis cum legem agrariam ferre vellet, & a Senatu prohiberetur, armata multitudine Aventinum occupavit.

Sed quoniam hujusmodi quæstiones nimis latæ, ac diffusæ sunt, ut in angustam disceptationem adducantur, tam intentio, quam depulsio confirmari debet. Confirmatio depulsionis dicitur, *ratio*: intentionis, *continens*, seu *firmamentum*, græce *συνέχον*: ex ratione, & firmamento oritur *disceptatio*, seu *judicatio*, græce *Κρινόμενον*. E. gr. quæstio qualitatis est: *Jurene Milo Clodium occiderit*? Ratio defensoris est, quia *Miloni insidiatus est Clodius*. Firmamentum accusatoris est: *Imo Clodio insidiatus est Milo*. Hinc oritur judicatio: an *insidiatus sit Miloni Clodius*? Atque in hac judicii summa consistit.

Sed in gravissimis firmamentis & illa ponenda sunt, si qua ex scripto legis, aut testamen-

ſtamenti, aut verborum ipſius judicii, aut alicujus ſtipulationis, aut cautionis opponuntur defenſioni contraria. Ac ne hoc quidem genus in eas cauſſas incurrit, quæ conjectura continentur. Quod enim factum negatur, id argui non poteſt ſcripto. Ne in definitionem quidem venit, genere ſcripti ipſius. Nam etiam ſi verbum aliquod de ſcripto definiendum eſt, quam vim habeat, ut cum ex teſtamentis, *quid ſit penus*, aut cum ex lege prædii quæritur, quæ *ſunt ruta cæſa*; non ſcripti genus, ſed verbi interpretatio controverſiam parit.

Cum autem plura ſignificantur ſcripto, propter verbi, aut verborum ambiguitatem, ut liceat ei, qui contradicat, eo trahere ſignificationem ſcripti, quo expediat, aut velit; aut, etiamſi ambigue ſcriptum non ſit, vel a verbis voluntatem, & ſententiam ſcriptoris abducere; vel alio ſe eadem de re contrarie ſcripto defendere; tum diſceptatio ex ſcripti contentione exiſtit, ut in ambiguis diſceptetur, quid maxime ſignificetur: in ſcripti, ſententiæque contentione, utrum potius ſequatur judex: in contrariis ſcriptis, utrum magis ſit comprobandum.

Non solum in quæstionibus rationalibus, quæ argumentis, & rationibus tantum nituntur; sed etiam in legitimis, quæ totæ a scripto pendent, firmamenta reperiri solent.

Scriptum autem complectitur *legem*, *testamentum*, *verba judicii*, seu formulam a Prætore præscriptam, in quam judicium dabatur; *stipulationem*, seu obligationem verbis promittentis, & accipientis contractam; & *cautionem*, seu obligationem scripto interpositam, ut ratum sit, quod actum fuit.

Porro firmamenta ex scripto locum habent in statu qualitatis, non in conjecturali, neque in finitivo. In hoc enim tantum quæri potest de alicujus verbi interpretatione; ut quid sit *penus*, si forte penus legata sit; vel ex lege prædii, quæ sint *ruta cæsa*; (est autem penus, quidquid conditum est ad alimentum; ruta cæsa sunt, quæcumque a solo separata sunt, sive nata in solo ipso, sive manufacta, ut demessa seges, calx, arena, cæsæ arbores &c.

Disceptatio autem cum est constituta, proposita esse debet oratori, quo omnes argumentationes repetitæ ex inveniendi locis conjiciantur. Quod quamquam satis est ei, qui videt, quid in quoque loco lateat, quique illos locos, tanquam thesauros aliquos argumentorum notatos habet: tamen ea, quæ sunt certarum caussarum propria, tangemus.

## *De statu conjecturali in judiciali genere.*

IN conjectura igitur, cum est in inficiando reus, accusatori hæc duo prima sunt, ( sed accusatorem pro omni actore, & petitore appello: possunt enim etiam sine accusatore in caussis hæc eadem controversiarum genera versari ) Sed hæc duo sunt ei prima, caussa, & eventus. Caussam appello rationem efficiendi; eventum id, quod est effectum.

## *De locis accusationis, ac primo de argumentis a caussa.*

ATque ipsa quidem partitio caussarum paullo ante in suasionis locis distributa est. Quæ enim in consilio capiendo futuri temporis præcipiebantur, quamobrem aut utilitatem viderentur habitura, aut efficiendi facultatem; eadem, qui de facto argumentabitur, colligere debebit. Quamobrem & utilia illi, quem arguet, fuisse, & ab eo effici potuisse demonstret. Utilitatis conjectura movetur, si illud, quod arguitur, aut spe bonorum, aut malorum metu fecisse dicitur. Quod fit acrius, quo illa in utroque genere majora ponuntur. Spectantur etiam ad caussam facti motus ani-

morum, si ira recens, si odium vetus, si ulciscendi studium, si injuriæ dolor, si honoris, si gloriæ, si imperii, si pecuniæ cupiditas, si periculi timor, si æs alienum, si angustiæ rei familiaris, si audax, si levis, si crudelis, si impotens, si incautus, si insipiens, si amans, si commota mente, si vinolentus, si cum spe efficiendi, si cum opinione celandi; aut, si patefactum esset, depellendi criminis, vel perrumpendi periculi, vel in longinquum tempus differendi: aut si judicii pœna levior, quam facti præmium: aut si facinoris voluptas major, quam damnationis dolor. His fere rebus facti suspicio confirmatur, cum & voluntatis in reo caussæ reperiuntur, & facultas. In voluntate autem utilitas ex adeptione alicujus commodi, vitationeque alicujus incommodi quæritur, ut aut spes, aut metus impulisse videatur, aut alius repentinus animi motus, qui etiam citius in fraudem, quam ratio utilitatis impellit. Quamobrem sint hæc dicta de caussis.

Duplex caussæ genus spectatur in conjecturis, impulsio, & ratiocinatio.

Impulsio est impetus ab aliqua perturbatione animi proveniens, qualis est spes utilitatis, odii explendi &c. Ita Cic. pro Mil. *Quonam igitur pacto probari potest insidias Miloni fecisse Clodium? Satis est quidem in illa tam audaci, tam nefaria bellua docere magnam ei caussam, magnam spem in Milonis mor-*

te

*te propositam, magnas utilitates fuisse*. Et pro Sex. Roscio, ut ostendat Capitonem cædis reum esse; *quid si accedit eodem, ut tenuis antea fueris? Quid si, ut avarus? Quid si, ut audax? Quid si, ut illius, qui occisus est, inimicissimus?*

Ratiocinatio est considerata excogitatio aliquid faciendi: huc pertinet spes, & facultas efficiendi, opinio celandi, vel depellendi criminis, vel perrumpendi, vel differendi periculi. Ita Tullius probat maiorem adversariis, quam Sex. Roscio, facultatem fuisse occidendi Roscii patris, quia Titus Romæ erat, & amicus sicariis, cum Sextus absens esset, atque a sicariis alienus.

## *De argumentis ab eventu.*

*F.* TEneo, & quæro, qui sint illi eventus, quos ex caussis effici dixisti.

*P.* Consequentia quædam signa præterita, & quasi impressa facti vestigia: quæ quidem vel maxime suspicionem movent, & quasi tacita sunt criminum testimonia. Atque hæ quidem graviora, quod caussæ communiter videntur insimulare, & arguere omnes posse, quorum non interfuerit aliquid: hæc proprie attingunt eos ipsos, qui arguuntur, ut telum, ut vestigium, ut cruor, ut deprehensum aliquid, quod ablatum, ereptumve videatur, ut responsum inconstanter, ut hæsitatum, ut titubatum, ut cum aliquo visus, ex quo suspicio oriatur, ut eo ipso in loco visus, in quo facinus,

ut pallor, ut tremor, ut scriptum, aut obsignatum, aut depositum quidpiam. Hæc enim, & talia sunt, quæ aut in re ipsa, aut etiam, antequam factum est, aut postea suspiciosum crimen efficiant.

Quæ si non erunt, tamen caussis ipsis, & efficiendi facultatibus niti oportebit, adjuncta illa disputatione communi, non fuisse illum tam amentem, ut judicia facti aut effugere, aut occultare non posset, ut ita apertus esset, ut locum crimini relinqueret. Communis ille contra locus, audaciam temeritati, non prudentiæ esse conjunctam. Sequitur autem ille locus ad augendum, non esse expectandum, dum fateatur; argumentis peccata convinci: & hic etiam exempla ponentur. Atque hæc quidem de argumentis.

Ab eventis, seu consequentibus ostendit Cicero Roscium ab adversariis interfectum: nam cædes facta est Romæ sub initium noctis, & nunciatum est ad T. Capitonem celerrime a Glaucia, & non ad filium. Deinde quatriduo post nuncius cædis Volaterras ad Chrysogonum delatus est 3. parte bonorum maxima donati sunt illi a Chrysogono.

## *De testibus.*

SIN autem erit etiam testium facultas, primum genus erit ipsum laudandum, dicendumque, ne argumentis teneretur reus, ipsum

ipsum sua cautione fecisse; testes effugere non potuisse. Deinde singuli laudentur. Quæ autem essent laudabilia, dictum est. Deinde etiam argumento firmo, quia tamen sæpe falsum est, posse recte non credi; viro bono, & firmo sine vitio judicis non posse non credi. Atque etiam, si obscuri testes erunt, aut tenues, dicendum erit non esse ex fortuna fidem ponderandam, & eos esse cujusque locupletissimos testes, qui id, de quo agatur, facillime scire possint.

## *De quæstionibus, sive tormentis.*

SIN quæstiones habitæ, aut postulatio, ut habeatur, caussam adjuvabunt; confirmandum genus primum quæstionum erit, dicendum de vi doloris, de opinione majorum, qui eam rem totam, nisi probassent, certe repudiassent; de institutis Atheniensium, Rhodiorumque, doctissimorum hominum, apud quos etiam, id quod acerbissimum est, liberi, civesque torquentur, de nostrorum etiam prudentissimorum hominum institutis; qui quum de servis in dominos quæri noluissent; de incestu tamen, & conjuratione, quæ facta me Consule est, quærendum putaverunt. Irriden-

da etiam disputatio est, qua solent uti ad infirmandas quæstiones; & meditata, puerilisque dicenda: tum facienda fides, diligenter esse, & sine cupiditate quæsitum: dictaque quæstionis argumentis, & conjectura ponderanda. Atque hæc accusationis fere membra sunt.

## *De locis defensionis.*

DEfensionis autem primum infirmatio caussarum, aut non fuisse, aut non tantas, aut non sibi soli, aut commodius potuisse idem consequi, aut non iis esse moribus, non ea vita; aut nullos animi motus, aut non tam impotentes fuisse.

Facultatum autem infirmatione utetur, si aut vires, aut animum, aut copias, aut opes abfuisse demonstrabit: aut alienum tempus, aut locum non idoneum, aut multos arbitros, quorum crederet nemini: aut non se tam ineptum, ut id susciperet, quod occultare non posset; neque tam amentem, ut pœnas, ac judicia contemneret. Consequentia autem diluet exponendo non esse illa certa indicia facti, quæ etiam nullo admisso consequi possent; consistetque in singulis: & ea aut eorum, quæ ipse facta esse dicet, propria esse defendet potius, quam

quam criminis: aut, si sibi cum accusatore communia essent, pro periculo potius, quam contra salutem valere debere. Testiumque, & quæstionum genus universum, &, quod poterit in singulis, ex reprehensionis locis, de quibus ante dictum est, refellet.

## *De partibus orationis in statu conjecturali.*

HArum caussarum principia suspiciosa ad acerbitatem ab accusatore ponentur: denunciabiturque insidiarum commune periculum, excitabunturque animi, ut attendant. A reo autem querela conflati criminis, collectarumque suspicionum, & accusatoris insidiæ, & item commune periculum proferetur, animique ad misericordiam allicientur, & modice benevolentia judicum colligetur. Narratio autem accusatoris erit quasi membratim gesti negotii suspiciosa explicatio, sparsis omnibus argumentis, obscuratis defensionibus. Defensori, aut præteritis, aut obscuratis suspicionum argumentis, rerum ipsarum eventus erunt, casusque narrandi. In confirmandis autem nostris argumentationibus, infirmandisque contrariis, sæpe erunt accusatori motus animorum incitandi, reo mitigandi. Atque

hæc quidem utrique maxime in peroratione facienda; alteri frequentatione argumentorum, & coacervatione universa; alteri, si plane caussam redarguendo explicarit, enumeratione, ut quidque diluerit, & miseratione ad extremum.

Hæc omnia facile intelliges ex orationibus Tullii, quæ in statu conjecturali versantur, pro Sex. Roscio, pro Sextio, pro Cluentio, pro Muræna, pro Flacco, pro Sylla, pro Plancio, pro Dejotaro, & in Verrem. Ita ex. gr. in exordio Verrinae II. acerbæ suspiciones moventur tum in Verrem, tum in judices; & commune multorum periculum denunciatur. Exordium vero pro Sex. Roscio querelam continet conficti criminis, periculum ostendit commune, animos judicum ad misericordiam allicit, sibique benevolos facit.

## *De statu definitivo in genere judiciali.*

*F.* SCire mihi jam videor, quemadmodum conjectura tractanda sit. Nunc de definitione audiamus.

*P.* Communia dantur in isto genere accusatori, defensorique præcepta. Uter enim definiendo, describendoque verbo magis ad sensum judicis, opinionemque penetrarit; & uter ad communem verbi vim, & ad eam præceptionem, quam inchoatam habebunt in animis ii, qui audient, magis, & propius accesserit; is vincat, necesse est.

Non

Non enim argumentando hoc genus tractatur, sed tanquam explicando, excutiendoque verbo: ut si in reo pecunia absoluto, rursusque revocato, *prævaricationem* accusator esse definiat *omnem judicii corruptelam ab reo*; defensor autem non omnem, sed tantummodo *accusatoris corruptelam ab reo*. Sit ergo hæc contentio prima verborum, in qua etiamsi propius accedat ad consuetudinem, mentemque sermonis defensoris definitio; tamen accusator sententia legis nititur. Negat enim probari oportere, eos, qui leges scripserunt, ratum habere judicium, si totum corruptum sit; si unus accusator corruptus sit, rescindere nititur æquitate, ut illa quasi scribenda lex sic esset: quæcumque tamen complecteretur in judiciis corruptis, ea verbo uno *prævaricationis* comprehendisse dicitur. Defensor autem testatur consuetudinem sermonis, verbique vim ex contrario reperiet quasi ex vero accusatore, cui contrarium est nomen prævaricationis: ex consequentibus, quod ea litera de accusatore solcat dari judici; ex nomine ipso, quod significat eum, qui in contrariis caussis quasi varie esse positus videatur. Sed huic tamen ipsi confugiendum est ad æquitatis locos, ad rerum judicatarum auctoritatem, ad finem aliquem

peri-

periculi. Communeque sit hoc præceptum, ut cum uterque definierit, quammaxime potuerit, ad communem sensum, vimque verbi; tum similibus, exemplisque eorum, qui item locuti sunt, suam definitionem, sententiamque confirmet. Atque accusatori in hoc genere caussarum locus ille communis, minime esse concedendum, ut is, qui de re confiteatur, verbi se interpretatione defendat.

Defensor autem ea, quam proposui, æquitate nitatur: & ea cum secum faciat, non re, sed depravatione verbi se urgeri queratur. Quo in genere percensere poterit plerosque inveniendi locos. Nam & similibus utetur, & contrariis, & consequentibus, quamquam uterque, tamen reus, nisi plane erit absurda caussa, frequentius. Amplificandi autem caussa, quæ, aut cum digredientur a caussa, dici solent, aut cum perorabunt, hæc vel ad odium, vel ad misericordiam, vel ad omnino animos judicum movendos ex iis, quæ sunt ante posita, sumentur; si modo rerum magnitudo, hominumve aut invidia, aut dignitas postulabit.

Definitivæ disceptationis exemplum hoc affert Tullius, si quæratur quid sit prævaricatio: cujus definitionem tueri potest tum accusator, tum defensor. Accusator 1. legibus, ut, lex jubet rescindi

di judicium, si accusator corruptus fuerit; ergo multo magis judicium rescindi debet, si ipsi judices corrupti fuerint. 2. Æquitate: ut Cic. pro Cæcinna: *Is ne apud vos obtinebit caussam suam, qui se ita defenderit: ejeci ego te armatis hominibus, non dejeci; ut tantum facinus non in æquitate defensionis, sed in una litera latuisse videatur?*

Defensor 1. Consuetudine sermonis, cum omnes prævaricationem intelligant accusatoris corruptelam ab reo. 2. Contrario, ut si quoties verus accusator est, qui a recta accusatione non deflectat, etiamsi judices corrumpantur, nulla est prævaricatio; an quisquam dubitare potest, quin tantum ad accusatorem illa pertineat? 3. Consequentibus, quoniam ea litera, hoc est ea lex prævaricationis datur judici, ut de accusatore sententiam ferat, utrum sit verus accusator, an prævaricator. 4. Notatione, quoniam prævaricator videtur a varietate dici, ut eum tantum significet, qui in variis caussis positus est.

Præterea niti etiam potest defensor æquitate; si nempe dicat æquitatem ipsam postulare, ut verbi proprietas spectetur, neque convenire, ut verbum eo deflectatur, ubi non valet. Deinde auctoritate rerum judicatarum, ut si qui fuerunt, qui, quod factum est, non eo nomine appellaverint, ut Cic. pro Lig.: *Scelus tu illud vocas Tubero? Cur? isto enim nomine illa adhuc caussa caruit &c.* Orationes, quæ perpetuum hunc statum habeant, vix apud Tullium invenies: incidit tamen in illis aliquando, ut in Phil. 9. num qui mortis sit caussa, homicida nominandus sit? Pro Rabirio, & in secunda in Rullum, quid sit popularem esse?

De

F. HAbeo ista: nunc ea, quæ, cum, quale sit quidpiam, disceptatur, quæri ex utraque parte deceat, velim audire.

P. Confitentur in isto genere, qui arguuntur, se id fecisse ipsum, in quo reprehenduntur. Sed quoniam jure se fecisse dicunt; juris est omnis ratio nobis explicanda: quod dividitur in duas partes primas, naturam, atque legem: & utriusque generis vis in divinum, & humanum jus est distributa. Quorum æquitatis est unum, alterum religionis. Æquitatis autem vis est duplex: cujus altera directi, & veri, & justi, &, ut dicitur, æqui, & boni ratione defenditur: altera ad vicissitudinem referendæ gratiæ pertinet: quod in beneficio gratia, in injuria ultio nominatur. Atque hæc communia sunt naturæ, atque legis: sed propria legis & ea, quæ scripta sunt, & ea, quæ sine literis, aut gentium jure, aut majorum more retinentur. Scriptorum autem privatum aliud est, publicum aliud. Publicum, lex, S. C., fœdus: privatum, tabulæ, pactum, conventum, stipulatio. Quæ autem scripta non sunt, ea aut consuetudine, aut conventis hominum, & quasi consensu obtinentur. Atque etiam hoc in pri-

primis, ut nostros mores, legesque tueamur, quodam modo naturali jure præscriptum est.

Et quoniam breviter aperti fontes sunt quasi quidam æquitatis; meditata nobis ad hoc caussarum genus esse debebunt ea, quæ dicenda erunt in orationibus de natura, de legibus, de more majorum, de propulsanda injuria, de ulciscenda, de omni parte juris. Si imprudenter, aut necessitate, aut casu quidpiam fecerit, quod non concederetur iis, qui sua sponte, & voluntate fecissent: ad ejus facti deprecationem ignoscendi petenda venia est; quæ sumetur ex plerisque locis æquitatis.

*De caussis, quæ versantur in scriptis.*

EXpositum est, ut potui, brevissime de omni controversiarum genere: nisi præterea tu quid requiris.

*F.* Illud equidem, quod jam unum restare video, quale sit, cum disceptatio versatur in scriptis.

*P.* Recte intelligis. Eo enim exposito, munus promissi omne confecero. Sunt igitur ambigui duobus adversariis præcepta communia. Uterque enim hanc significationem, qua utetur ipse, dignam scriptoris

pru-

prudentia esse defendet: uterque id, quod adversarius ex ambigue scripto intelligendum esse dicet, aut absurdum, aut inutile, aut iniquum, aut turpe esse defendet, aut etiam discrepare cum ceteris scriptis vel aliorum, vel maxime, si poterit, ejusdem: quamque defendet ipse, eam rem, & sententiam quemvis prudentem, & justum hominem, si integrum daretur, scripturum fuisse, sed planius; eamque sententiam, quam significari posse dicet, nihil habere aut captionis, aut vitii: contrariam autem si probarit, fore, ut multa vitia, stulta, iniqua, contraria consequantur.

Cum autem aliud scriptum sensisse videtur, & aliud scripsisse, qui scripto nitetur, eum re exposita recitatione uti oportebit: deinde instare adversario, iterare, renovare, interrogare, num aut scriptum neget, aut contra factum inficietur. Post judicem ad vim scripti vocet. Hac confirmatione usus, amplificet rem, legem laudando, audaciamque confutet ejus, qui cum palam contra fecerit, idque fateatur; adsit tamen, factumque defendat. Deinde infirmet defensionem: cum adversarius aliud voluisse, aliud sensisse scriptorem, aliud scripsisse dicat: non esse ferendum, a quoquam potius latoris sensum, quam a lege explicari.

cari. Cur ita scripserit, si ita non senserit? Cur cum ea, quæ plane scripta sint, neglexerit: quæ nunquam scripta sint, proferat? Cur prudentissimos in scribendo viros, summæ stultitiæ putet esse damnandos? Quid impedierit scriptorem, quominus exciperet illud, quod adversarius, tanquam si exceptum esset, ita dicit se secutum? Utetur exemplis iis, quibus idem scriptor: aut, si id non poterit, quibus alii, quod excipiendum putarint, exceperint. Quærenda etiam ratio est, si qua poterit inveniri, quare non sit exceptum: aut iniqua lex, aut inutilis futura dicetur: aut alia caussa obtemperandi, alia abrogandi: dissentire adversarii vocem, atque legis. Deinde amplificandi caussa, de conservandis legibus, de periculo rerum publicarum, atque privatarum, cum aliis locis, tum in perorando maxime, graviter erit, vehementerque dicendum. Ille autem, qui se sententia legis, voluntateque defendet, in consilio, atque in mente scriptoris, non in verbis, ac literis vim legis positam esse defendet: quodque nihil exceperit in lege, laudabit, ne diverticula peccatis darentur, atque ut ex facto cujusque judex legis mentem interpretaretur. Deinde erit utendum exemplis, in quibus omnis æquitas per-

perturbetur, ſi verbis legum, ac non ſententiis pareatur. Deinde genus ejuſmodi calliditatis, & calumniæ retrahatur in odium judicis cum quadam invidioſa querela. Et ſi incidet imprudentiæ cauſſa, quæ non ad delictum, ſed ad caſum, neceſſitatemve pertineat; quod genus paullo ante attigimus, erit iiſdem æquitatis ſententiis contra acerbitatem verborum deprecandum.

Sin ſcripta inter ſe diſſentient, tanta ſeries artis eſt, & ſic inter ſe ſunt pleraque connexa, & apta, ut, quæ paullo ante præcepta dedimus ambigui, quæque proxime ſententiæ, & ſcripti; eadem ad hoc genus cauſſæ tertium transferantur. Nam quibus locis in ambiguo defendimus eam ſignificationem, quæ nos adjuvat, eiſdem in contrariis legibus noſtra lex defendenda eſt. Deinde eſt efficiendum, ut alterius ſcripti ſententiam, alterius verba defendamus. Ita, quæ modo de ſcripto, ſententiaque præcepta ſunt, eadem huc omnia transferamus.

De tribus agit hic diſceptationibus legitimis, ſeu quæ ex ſcripto naſci ſolent; 1. Ex ambiguo, cum ſcriptum variis modis intelligi poteſt, ut cum quæritur pro Cæcinna quid verbum *dejeci* ſignificet. 2. Ex ſcripto, & ſententia, cum aliud ſcripſiſſe, aliud ſenſiſſe ſcriptor videtur: ut pro eodem Cæcinna cum prætor edixerit, unde tu illum dejeciſti, volueritne eum quoque reſtitui, qui ab ingreſſu fundi prohibitus eſſet: & utrum potius

verbum

verbum interdicti, an voluntas Prætoris sequenda sit. 3. Ex contrariis scriptis, cum scilicet inter se diffident, aut cum ex eadem lege contrarii casus oriuntur, ut ex ea, quam ponit Hermogenes: rapta virgo vel nuptias raptoris, vel mortem ejus eligat. Quidam juvenis eodem tempore duas rapuit; altera nuptias raptoris petit; altera mortem. Qua ratione singulæ tractari debeant, satis aperte hic docet Tullius.

## *Conclusio totius operis.*

EXpositæ sunt tibi omnes oratoriæ partitiones, quæ quidem e media illa nostra Academia floruerunt: neque sine ea aut inveniri, aut intelligi, aut tractari possunt. Nam & partiri ipsum, & definire, & ambigui partitiones dividere, & argumentorum locos nosse, & argumentationem ipsam concludere, & videre, quæ sumenda in argumentando sint, quidque ex iis, quæ sumta sunt, efficiatur, & vera a falsis, verisimilia ab incredibilibus dijudicare, & distinguere, & aut male sumta, aut male conclusa reprehendere, & eadem vel anguste disserere, ut Dialectici qui appellantur; vel, ut oratorem decet, late exprimere: illius exercitationis, & subtiliter disputandi, & copiose dicendi artis est. De bonis vero rebus, & malis; æquis, iniquis; utilibus, inutilibus; honestis, turpibus,

bus, quam poteſt habere orator ſine illis maximarum rerum artibus facultatem, aut copiam? Quare hæc tibi ſint, mi Cicero, quæ expoſui, quaſi indicia fontium illorum, ad quos ſi nobis eiſdem ducibus, aliiſve, perveneris; tum hæc ipſa melius, & multo majora alia cognoſces.

Concludit Cicero ſe e media Academia, ſeu e Platonis doctrina hæc benedicendi ſumſiſſe præcepta; & alibi fatetur oratorem ſe non ex Rhetorum officinis, ſed ex Academiæ ſpatiis extitiſſe. Inde enim petenda eſt ars definiendi, dividendi, argumentandi, ſeu dialectica, & morum diſciplina. Quare egregie Horatius in arte:

*Scribendi recte ſapere & principium & fons.*
*Rem tibi Socraticæ poterunt oſtendere chartæ;*
*Verbaque proviſam rem non invita ſequentur.*

Ceterum qui nondum ad Philoſophiam acceſſerunt, ea omnia commode poſſunt ediſcere cum ex aſſidua, attentaque optimorum ſcriptorum, & præſertim Tullii lectione; tum etiam ex humanæ vitæ, & communium morum obſervatione. Nam recte ait Horatius:

*Reſpicere exemplar vitæ, morumque jubebo*
*Doctum imitatorem, & veras hinc ducere voces.*

*F.* Ego vero, ac magno quidem ſtudio, mi pater, multiſque ex tuis præclariſſimis muneribus nullum majus expecto.

FINIS.